



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio III. Ad Titulum III. de clandestina desponsatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

ex hoc à nonnullis deduci, impedimentum publicæ honestatis nasci ex Sponsalibus principio validis, sed mutuo Sponsorum consensu iterum dissolutis. Verum hæc deductio ex eo textu non rectè fit; nam, ut diximus supra, Sponsalia, de quibus loquitur textus, non mutuo Sponsorum consensu, sed ipso jure dissoluta sunt, ut liquet ex verbis allatis. Qui enim dicunt in casu, quo mutuo Sponsorum consensu dissolvuntur, non nasci impedimentum, justitiæ publicæ, id fundant in eo, quòd talia Sponsalia non habeant mutuum consensum in utroque firmitatem.

630. Not. 4. in casu, quo mulier aliquem, tanquam Virum suum sibi vindicare contendit, & per idoneos testes probare nequit, quòd alter, cum haberet debitam ætatem, (nimirum, quòd, dum esset 14. vel circa finem anni XIV.) in eam consenserit, illum à Mulieris impetitione absolvendum esse, & ad alia vota transeundi

dandam licentiam, si is juramento affirmet, se nunquam in eam, dum in eætate esset, consensisse. Sic Urbanus III. in c. Attestationes. 10. h. t.

Not. 5. quando supra diximus ex c. 631. de illis. 7. h. t. quòd si major cum minore contraxit, exspectare debeat hujus pubertatem; & non ille, sed iste pubes factus resilire possit; intelligendum esse, si major spontè, ac non invitus contraxit, id quòd expressè habetur in c. ex Literis. 11. hoc. tit. ubi casus est de puella pubere, desponsata puero IX. vel X. annorum, & sub hoc ad domum Patris pueri de voluntate parentum potius, quam sua, traducta, quæ dolens, & invita, minis parentum impulsam, per annum & amplius ibidem commorata, tandem ad propriam domum recessit, non exspectato tempore, dum puer annum XIV. compleret, liberata fuit.

### QUÆSTIO III.

#### Ad Titulum III. de clandestina desponsatione.

632. **H**æc desponsatio propriè supponat pro Sponsalibus de futuro c. sufficit. 4. de sponsal. hoc tamen titulo supponit etiam pro matrimonii, seu Sponsalibus de præsentis, ut colligitur ex c. Tua nos. 26. eod. Cæterùm desponsatio clandestina dicitur, quæ sic occultè fit, quòd exinde legitimi testes vel probatio non appareant, ut dicitur c. Quod nobis. 2. h. t. Et quamvis Pereyra in Elucidar. n. 1672. enumeret 6. modos, quibus matrimonia clandestinè fieri dicuntur. 1. si contrahantur sine testibus; 2. si consummantur ante nuptiales benedictiones; 3. quando contra fidem primorum Sponsalium alia Uxor ducitur; 4. quando ante legitimam ætatem ineuntur; 5. quando contrahuntur tempore, quo solennitas nuptiarum prohibetur ab Ecclesia; 6. quando omnis denunciationibus celebrantur: rectius tamen P. Sanchez. lib. 3. hic D. i. num. 3. duplex tantum agnoscit clandestinum; primum in quo testes

jure requisiti deficiunt, vocarique solet clandestinum simpliciter; alterum, in quo solum desiderantur denuntiationes, peritæ ab Ecclesia, ad perfectam ejus publicationem, & dicitur clandestinum secundum quid; de quibus in præsentis.

#### ARTICULUS I.

##### De matrimonio simpliciter clandestino.

Clandesimitas, quæ datur per defectum præsentis Parochi, & Testium, olim matrimonia sic clandestinè celebrata reddebat quidem per se illicita, sed non invalida. Illicita ex c. Nullus, 30. q. 5. ubi ex liceris Hormisdæ Papæ habetur: nullus fidelis, cujuscumq. conditionis sit, occultè nuptias faciat: sed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino.

Dixi: per se illicita olim fuisse matrimonia clandestina, nimirum sine testibus contracta; quia ex se nihil deerat quoad substantiam; & inhibita erant solum ratio.

ratione Scandalorum, & occasionis peccandi, ex ejusmodi connubiis nascentis. Et ideo in casu, quo mala, nisi clandestinè fierent, præponderabant malo ex clandestinitate nascenti, etiam licitè fiebant, ut si sic Sponsi evitarent, certum alioquin periculum mortis; vel per testes à matrimonio potius impedirentur, aut aliàs grave damnum paterentur, de quibus Covarr. p. 2. in 4. decret. c. 6. n. 7. Non tamen erant tunc invalida ex cap. 2. h. t. ubi dicitur: matrimonia, quæ sic (nimirum occultè, quòd exinde legitimi testes non appareant) contrahuntur: nisi rationabilis causa præpediat, ab Ecclesia recipienda, & comprobanda esse; si personæ contrahentium voluerint publicare. Et ideo etiam Tridentinum Sess. 24. de Reform. matr. cap. 1. negantes clandestina matrimonia, vera, & rata esse, quamdiu Ecclesia irrita non facit, Anathemate damnat.

635. Jure autem novo Concilii Trident. Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. matrimonia simpliciter clandestinè (nimirum sine Parocho & testibus) celebrata, nulla, & irrita declarantur: ibi: *Qui aliter, quàm præsentè Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentaverint, eos sancta Synodus, ad sic contrahendum matrimonium omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos decernit, prout eos, præsentè decreto, irritos facit, & annullat.*

636. Causa hujus decreti inhabilitantis personas ad sic contrahendum, & contractum contra decreti formam celebratum annullantis fuit, quòd decreta juris antiqui, ea præcisè prohibentis, experientià docente, non sufficienter occurrerent malis ex ea clandestinitate nascentibus; qualia erant, quòd Conjuges sic clandestinè sæpius ab invicem recesserint, alia conjugia publicè iniverint, in perpetuis adulteriis viverent, magno fidei conjugalis, prolium, & Sacramenti, tum detrimento, tum contemptu, Ecclesià, quæ de occultis non judicat, factos contractus ignorante, & propterea medelam debitam asferre non valente.

Ideo (quemadmodum legitimè statuit alia quædam impedimenta dirimentia, ut est impedimentum justitiæ publicæ, raptus, cognationis spiritualis, & le-

galis, imò & in certis gradibus, carnalis) quæ jure naturali vel divino talia non sunt, ad cavenda tanta mala, meritò clandestinitatem simpliciter (de qua n. 633.) statuit impedimentum dirimens, quo fieret, ut, cum ipsi per Parochum, & testes constaret de contrahentium externo consensu per verba de præsentè, prædictis malis, quibus defectu probationis legitimæ de matrimonio inter aliquos celebrato (ipsis, vel uno eorum pertinaciter negantibus) occurrere non poterat, in futurum, facilè obviare possit; quibus positus.

Quæres. 1. an hoc decretum sit pœnale? ante resolut. suppon. 1. hoc decretum considerari posse tripliciter. 1. in quantum est *inhabilitans*, nimirum reddendo inhabiles, Christi fideles, ad validè matrimonia simpliciter clandestinè contrahenda; 2. in quantum est *prohibens* ejusmodi contractus sine præsentia Parochi, & testium; 3. in quantum est *irritans* matrimonia clandestinè contracta. Suppon. 2. dupliciter fieri posse, quòd quis per legem inhabilis reddatur ad actum aliquem validè celebrandum. 1. in odium delicti. 2. sine respectu ad delictum, ex justis aliis causis præscribendo certam agendi formam, ut quis inhabilis sit ad actum validè celebrandum, eà etiam inculpabiliter prætermittà; his præmissis.

Resp. decretum illud, in quantum est *prohibens*, esse legem, nec merè prohibitivam, nec merè pœnalem, sed mixtam; cum transgressor non tantum fiat Reus culpæ, sed etiam pœnæ per legem imposta, ut dicemus infra: in quantum autem est *inhabilitans*, non esse legem pœnalem; cum inhabilitatem statuat, non in odium commissi delicti, sed solam ad cavenda in futurum mala gravissima præscribat formam contrahentibus observandam, ut jure habiles sint; & hæc ratione deinceps conjugalis fides, bonum prolium, & Sacramenti ratio, per notitiam Ecclesiæ factam de contractu, seriò custodiantur, & custodiri curentur. In quantum porò est *irritans* matrimonia sine præsentia Parochi, & testium inita, id non tantum agere rescindendo (cum propter inhabilitatem contrahentium solo facto, non jure teneant) quam nullitatem declarando.

Quæ-

638. Quæres. 2. an Præsentia Parochi & Testum in contractu matrimonii requiratur, ut forma *substantialis*, & non merè probatoria? adeoque requisita sit ad ejus valorem? Resp. requiri non ut formam merè extrinsecam, & probativam; sed substantialem, & intrinsecam, quia, cum matrimonium aliter celebratum ipso jure sit nullum, & contrahentes, ad aliter celebrandum inhabiles, nequit intelligi merum extrinsecum, quo præcisè sublato, perit valor matrimonii; hoc autem contingit, præcisè sublata præsentia Parochi, & Testum, intellige tamen, si non sit aliqua exceptio, vel dispensatio ad contrahendum absque illa forma: ita Sanchez. *lib. 3. matr. D. 17. n. 4.* Cujus ulterior ratio est; quia quod requiritur solum ut forma probatoria, non ut *substantialis*, & *solemnis*, non invalidat actum in foro poli, seu conscientia; at defectus illius famæ, etiam in foro poli, & conscientia, omnino invalidat matrimonium, in loco, ubi Tridentinum in hoc publicatum, & receptum est, ut certum habetur in Ecclesia; ergo. Et ideo de Luca *l. 14. in Annot. ad S. C. Trid. discursu. 26. n. 9.* dicit, opinionem dicentium, esse formam tantum probatoriam, esse *erroneam, & merito rejectam.* Est probatoria, sed non tantum.

639. Hinc communiter Doctores tradunt, irritum esse matrimonium, etiam in articulo mortis, aut in quacunque alia necessitate contractum, absque Parocho & Testibus. Nam licet lex Ecclesiastica, merè præceptiva, quæ inducit solennitatem tantum extrinsecam, & merè accidentalem contractui, non ita obliget, ut ejus defectu vicietur contractus; secus tamen est, quando inducit solennitatem specialem, ut patet in professione religiosa ante legitimam ætatem facta; hæc enim nulla est, esto ignoranter facta sit cum tali ætatis defectu. Nec ad valorem hujus contractus sufficit, quod forma substantialis impleatur *per equipollens* (v. g. quod matrimonium contrahatur coram majori parte vicinitatis sed absente Parocho) sed requiritur, ut impleatur specificè, ac proprie; ita Pirhing de *Clandest. despons. n. 3.* Hinc non sufficit qualiscunque publicitas matrimonii, sed opus est publicitate, *in facie Ecclesie*, ut ei nimirum probari possit *per testem, ab Ecclesia*, præter alios,

Tom. IV.

*expressum*, & specialiter requisitum (qui est Parochus, vel Sacerdos alius de ipsius licentia) contractus externè celebratus per verba de præsentia, nullo impedimento detecto.

Quæres. 3. An hoc decretum obli- 640.  
get ubique? Resp. ex intentione Legislatoris, præsertim expressà in ipsa lege, præcæteris constare posse vim legis; cum ergo Concilium expressè dicat loco cit. quod hoc decretum in unaquaque Parochia suum robur *post triginta dies habere incipiat, è die prima publicationis, in eadem Parochia facta, numerandos*; sequitur, quod in illis locis, & Parochiis tantum, robur etiam de facto habeat, in quibus à publicatione inibi facta, 30. dies effluxerunt; at ubi nunquam adhuc publicatum est, ibi nec effluxerunt, nec effluere poterunt. 30. dies à publicatione inibi facta; ergo ibi nec hodie robur suum habere incipit; ergo relinquit matrimonia sub dispositione juris antiqui, de qua à *n. 633.* ad hoc autem, ut in aliqua Parochia istud Decretum Tridentini robur suum obtineat, & obliget, non sufficit, quod publicatum sit in metropoli, vel civitate Ordinariorum, aut synodo Provinciali, vel Diocesana; idque *ex speciali dispositione Ecclesie*, quæ voluit, ut hæc lex non obligaret, nisi post promulgationem *in singulis Parochiis* factam, & elapsos 30. dies à facta publicatione; ut constet ex textu.

Quare, licet Episcopus non possit 641.  
matrimonia invalidare, per sua decreta synodalia, quæ sine Parocho & testibus contracta essent, si ibi nondum publicatum, & receptum est in hoc puncto Tridentinum, ut docet Aldanus *in Compend. Canonic. decisionum lib. 1. tit. 8. n. 43.* apud Barbof. *in cit. locum Trident. n. 174.* potest tamen publicare illud decretum, etiam hodie, si nondum publicatum est; & sic facere, ut elapsis 30. diebus à publicatione, matrimonia deinceps invalide contrahantur, non servatà formà Tridentini: Unde sequitur, etiam hodie valide contrahi matrimonia sine Parocho & Testibus à Sponsis *in sua Parochia*, si in ea nondum publicatum est hoc decretum Tridentini. Sic enim in ea Parochia lex illa Tridentini, in quantum inhabilitans, & irritans est, nullum robur obtinet, ex

X 2

n. 640.

n. 640. & locum duntaxat habet dispositio juris antiqui prohibens præcisè, non annullans ex n. cit.

642. Imò sequitur, etiam hodie, validè contrahi sine Parocho & testibus à Sponsis, qui abeuntes è loco, ubi viget Tridentinum, transeunt ad alium, ubi non viget, ibique contrahunt, si eò se conferant animo ibidem figendi domicilium. Quia sic contrahunt in sua Parochia, ubi decretum Tridentini locum, & robur non habet, ut ponit casus, consequenter citra inhabilitatem ipsos ad sic contrahendum ibi efficientem. Ut autem quis dicatur contrahere in sua Parochia, satis est, quòd sua sit, tempore contractùs; sic Fagnanus in c. significavit, de Paroch. n. 36. dixi: animo ibidem figendi domicilium; difficultas est, an validè contrahant matrimonia sine Parocho & testibus Sponsi, qui retinentes domicilium, ubi viget Tridentinum, de industria (& animo declinandi formam jure novo præscriptam) transeunt ad alium locum, ubi Tridentinum non viget, & clandestinè ibi matrimonio contracto, iterum ad sua redeunt.

643. Affirmativam sequitur P. Sanchez lib. 3. hic D. 18. an. 18. & valde probabilem censet Pirhing, de Claud. despons. quia licet peccent Sponsi, eo animo transeuntes ad illum locum, ut ibi clandestinè celebrent (hoc enim jure antiquo, & novo illicitum est, nisi gravis causa excuset) nullo tamen jure irrita sunt matrimonia clandestinè celebrata in loco, ubi Tridentinum non viget; cum ipsum CC. voluerit, nullum suo decreto inhabilitanti, ac irritanti, robur esse in loco, ubi publicatum non est. Ex quo fit, quòd non obliget fideles, nisi ratione loci, si in eo publicatum sit, & non extra: sic alii contractus & testamenta valdè fiunt sine solennitatibus extrinsecis, si in eo loco per statutum, vel consuetudinem legitimam sublata sint, esto in loco domicilii eorum de necessitate requirantur. Nec obstat, in hoc casu fraudem posse objici, quæ nulli patrocinari debet; quia non est fraus, quando quis utitur jure suo. Talis enim non dicitur committere fraudem jure annullativam actus celebrati per regulam, seu legem. 55. ff. de reg. juris. Sic post Sponsalia cum Berta, nec ritè dissoluta, contrahens cum Caja, etiam animo declinandi

matrimonium cum Berta, validè contractum cum Caja, id, quod pat. etiam ex instantiis aliorum contractuum.

Non desinam tamen hic annotare, quod habet Cardinalis de Lugo in Responsis moralibus lib. 1. dub. 36. ubi refert, ad propositam Papæ ab Archiepiscopo Coloniensi hanc quæstionem: an validè contrahant, retinentes domicilium, in quo viget Tridentinum, irritans matrimonia clandestina, de industria transeuntes ex illo loco ad alium (ut ibi sine Parocho & Testibus contraherent, quia ibi Tridentinum non est publicatum) & matrimonio sic contracto redderent? Cardinales super hoc consultos respondisse: se censere, invalidè contrahere, saltem si cum fraude fiant; & hoc eorum responsum de nullitate talis matrimonii Pontifici oblatum, per decretum Urbani VIII. 16. Aug. 1627. Autorit. Apostol. approbatum, & confirmatum esse.

Idem esse responsum à Cardinalium Congregatione refert Zypæus lib. 4. consultat. 6. & à Facultate Theologic. Vienne, ait Gobat in Theolog. Experiment. tr. 10. n. 467. supposita porro hæc Cardinalium declaratione per Pontificem ritè approbata, & confirmata (prout testatur Cardinalis de Lugo) merito censerè potest, ea matrimonia jure nulla esse, accedente dolo, hoc est, tali exitu, & reditu præcisè ad declinandam faciem Ecclesiæ: licet non improbabilerè opponi possit, legem illam declarativam nondum obtinere, tum quòd necdum publicata sit authenticè etiam in Curia Principis; tum quòd non constet, saltem morali certitudine, de tali publicatione, quod ad vim obtinendi robur apud Fideles, omnino necessarium esse, rectè docet Cardenas in Crisi Theolog. ad sent. prohib. ab Innocent. XI. Dissert. 1. c. 11. n. 198.

Quæres. 4. an peregrini sine Parocho & Testibus invalidè contrahant matrimonium in Parochia, per quam transeunt, si in ea promulgatum sit Tridentinum; licet domi suæ non sit publicatum; Resp. quòd sic. Quia peregrini, saltem quoad solennitatem contractuum, tenentur observare leges locorum, per quæ transeunt, cum ratione contractus sortiantur forum, ut dicitur cap. fin. de foro compet.

Quæ-

646. Quæres. 5. an Christiani, qui degunt apud infideles, v. g. apud Turcas, in illis terris validè ineant matrimonia, etiam non servatâ formâ Tridentini, esto hæc in loco domicilii eorum vigeat? Resp. quòd sic; quia decretum Tridentini, irritans matrimonia clandestina, ligat solùm ratione territorii, & Parochiæ, in qua illud est promulgatum, & usu receptum, juxta dicta superius. Hæc autem conditio in aliis locis deficit; ita Sanchez, *lib. 3. de matr. D. 18. n. 35.* & hoc extenditur. 1. ad casum, quo etiam solùm ad tempus (v. g. causa matrimonii, vel captivitatis, aut itineris) in iis terris existunt, & contrahunt; quia tunc citra fraudem sunt extra territorium, ubi Tridentinum robur suum obtinet. 2. ad casum, si contrahunt in iis locis, ubi Tridentinum quoad decretum irritans matrimonia clandestina, ritè publicatum est, quando ibi nulli sunt constituti Parochi; vel expulsi ab Hæreticis, aut, licet sint, penitus ignorantur, aut tutus ad eos non est accessus. Nam in ejusmodi casibus decretum illud est penitus inobservabile; nec ad eos ex mente Concilii extenditur, ut docet Richardus Ardekin de matrimonio, c. 8. §. 4. in editione Colonienfi, cum Zypæo in *jure Pontif. l. 4. n. 16.*

647. Dices: si in celebrando actu præmittitur forma substantialis, nulla necessitas excusat à nullitate actus; ergo in casu proximè assignato invalidè celebrantur matrimonia, sine forma Tridentini, licet eveniat defectus præsentia Parochi ex eo, quòd in tali loco nullus haberi possit, Resp. anteced. verum esse, quando lex, quæ præscribit eam formam, non expicit specialiter certum casum, cujus oppositum in præsentī casu constat, ex cit. declarationib. in n. priori.

Accedit, quòd, licet quis ignoret præsentiam Parochi, & testium, requiri ad valorem matrimonii in iis locis, ubi Tridentinum locum habet, per hoc tamen non reddatur ei impossibile, matrimonium contrahere coram Parocho & testibus, sicut illi, qui nullum omnino habere potest in tali loco; præsertim, cum sit dispositio juris antiqui graviter prohibentis ejusmodi contractus clandestinos, à quo illa ignorantia non excusat.

Not. præterea, hæc dispositio Concilii non teneri infideles; cum non subsint Ecclesiæ, consequenter in terris Christianorum vel permanentes, vel transeunter existentes, validè contrahere matrimonia non observatâ formâ Tridentini. Cæterùm, matrimonium censetur contractum *in facie Ecclesiæ*, quamvis in privatis domibus celebretur, dummodo coram proprio Parocho & testibus fiat. Nam hoc, & non aliud, quoad *substantiam*, sonat *ly in facie Ecclesiæ*, sic Barbof. de Offic. Episc. allegat. 32. n. 37. nec refert, sive de die, sive de nocte celebretur: Possivinus de Offic. Curat. c. 10. n. 15.

Not. 2. non valere matrimonium celebratum coram Parocho rurali, quando à contrahentibus rus solùm ad tempus, vel paucos dies, vel causâ recreationis incolitur. Quia ex hoc Parochus ejus loci non est *proprius illius*, ibi sic versantis, Parochus, quod tamen requiritur, ut dicemus infra; ita Sanchez, *lib. 3. hic D. 23. n. 9.* secus est, si ibi sit tanquam Prætor, Judex, seu Medicus, ut vult Barbof. in *Trid. cit. Sess. 24. c. 1. n. 16.* Hinc ille, qui haberet domicilium in duabus Parochiis, ac in eis æqualiter habitaret (v. g. per hyemem in una, per ætatem in altera) posset validè, ac licitè contrahere coram Parocho hujus, vel illius; sic enim quilibet eorum est proprius ejus Parochus, & ipse cujuslibet Parochianus. Hæc autem æqualitas habitationis non necessariò mathematicè; sed satis est, si moraliter computetur, nimirum judicio prudentum; ita Sanchez, *cit. D. 24. n. 3.*

Not. 3. Sponsalia de futuro non comprehenduntur sub hoc decreto Concilii, consequenter validè, licitèque, celebrari simpliciter clandestinè (Ratio constat ex dictis à n. 123. ubi ea, quæ opponi solent, dissoluta sunt) nec omnia, quæ in cit. conciliari decreto continentur, spectare ad formam, cujus non impletio vitiet actum: inter illa sunt denuntiationes, *confectio*, & *retentio libri*, in quo describuntur matrimonio coram Parocho copulati &c. Nam horum omisso matrimonium non reddit irritum. Forma igitur, in quam decretum annullativum cadit, solùm consistit in *præsentia, & interventu proprii Parochi, vel Sacerdotis alterius de ipsius, vel ordinarii licentia, & duorum, vel trium Testi-*

*Testium.* Sic Joannes Baptist. de Luca Part. 5. libri 14. discursu 26. num. 4. his præmissis.

§. I.

*An matrimonium defectu formæ invalidum, valeat in vim Sponsalium?*

651. Resp. matrimonia fidelium, nulliter contracta ex defectu formæ, à Tridentino præscriptæ, in foro externo præsumi, saltem tanquam Sponsalia; sic Castropal. D. 1. de sponsal. p. 4. Joann. Bapt. de Luca L. 14. de Matrim. discursu 3. n. 23. quia, qui vult aliquem actum, intendit eum saltem eo modo valere, quo potest, si non valet eo modo, quo fit; sed matrimonium clandestinè celebratum valere potest in vim Sponsalium; ergo licet non valeat in vim Matrimonii, valebit in vim Sponsalium. Maj. arguitur ex L. *sitam angustii. ff. de servitutibus.* Min. par. ex aliis. Nam matrimonia impuberum, licet non valeant in vim matrimonii, valent tamen in vim Sponsalium ex c. *unico, de despons. Impub. in 6.* de quo jam egimus in præcedentibus, id, quod verum est, licet forent celebrata clandestinè, contrarium tamen docet P. Robertus König sup. cit. de clandest. despons. n. 28. *Vers. sed salvâ.*

652. Ratio ipsius est; quia sic expressè declararunt Cardinales ad cit. c. *Trid. Sess. 24. de Reform. matr. n. 11. §. qui aliter, quàm presente Parocho. §. matrimonium contractum coram testibus & §. matrimonium contractum non servat à formâ. 2.* quia ex contractu, cui jus taliter resistit, ut illum absolute annullat, & personas ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat, nulla prorsus nasci potest obligatio legitima, consequenter nec Sponsalitia, nisi contrahentes in defectum matrimonii expressè se ad Sponsalia obligare intenderent; sic ille.

653. Verùm declarationes Cardinalium, procedunt solum de matrimoniis clandestinè celebratis, non autem Sponsalibus. Nec ex eo, quòd *promissio matrimonii* per verba de præsentis titulo clandestinitatis irrita sit; irrita etiam est promissio, quoad alios *juris effectus*, sed solum ad effectum matrimonii sic contrahendi, prout expressè limitat CC. in ipso textu. Et ideo illa omnimoda inhabilitas, vi Tridentinæ dispositionis, ut patet ex verbis ad sic con-

trahendum, non potest extendi, nisi ad casum, de quo Concilium ibi expressè disponit; ibi autem, ut patet ex toto textu, non agit, nisi de matrimonio contrahendo, & ad hoc contrahendum sic (nimirum sine præsentia Parochi & Testium<sup>1</sup>) redditi fideles omnino inhabiles in loco, ubi decretum ejus incepit obtinere robur suum.

Nec valet dicere, regulam communem, quòd, si actus non valet, ut agitur, valeat, eo modo, quo valere potest, verificari solum, quando actus non valet, ut agitur, ex defectu causæ efficientis præcisè; secus, quando non valet, ut agitur, tam ex parte causæ efficientis, quàm ex parte causæ formalis. Nam matrimonia impuberum clandestinè celebrata in loco, ubi viget Tridentinum, non tantum ob defectum causæ efficientis in ætate in contrahentibus requisita deficientis; sed etiam ob clandestinitatem, seu propter defectum causæ formalis (nimirum formæ à Tridentino præscriptæ) invalida sunt, & tamen valent in vim Sponsalium; textus enim, de quo in c. *unico*, indefinitè de his loquitur. Deinde, citra causam per illam distinctionem restringitur communis regula, ut actus non valeat eo modo, quo valere potest, quando defectus est in actu (qui fit) ex parte causæ formalis, quia contraria sententia concedit, ejusmodi matrimonia valere in vim Sponsalium, si contrahentes in defectu matrimonii se expressè ad Sponsalia obligare intenderent; ergo etiam si id intenderent facto, seu virtualiter, & tacitè, aut juris interpretatione. Nam ea expressa intentio non facit, quòd actus eo modo, quo fit, non fiat cum defectu causæ formalis, seu formæ à Tridentino præscriptæ.

Denique, ut verum sit, actum nec eo modo valere, quo valere potest, in casu, quo non valet eo modo, quo fit, intelligi debet, si hujus invaliditas oritur ex defectu causæ formalis, quæ in utroque requiritur substantialiter (aliàs illi nocere non potest defectus formæ, ad quod ea non requiritur) at in Sponsalibus de futuro non requiritur eadem forma juris à Tridentino præscripta, quæ in matrimonio: sic multi docent, vota solennia nulliter emissa, in vim promissionis, nihilominus tenere quoad castitatem, in vim voti simplicis.

Illud

656. Illud, quod contraria opinio asserit, clandestino matrimonio impuberum, Tridentini decretum non resistere, in quantum clandestinum est, eò, quod noluerit formam præscribere pro iis quoque matrimoniis, quæ aliunde subsistere non possunt, sed tantum pro his, quæ antecederent reputantur valida: illud, inquam, immeritò dicitur: quia sic matrimonia in gradibus prohibitis, post promulgationes, sed sine præsentia Parochi, & testium, inita, non caderent sub pœnas Tridentini contra matrimonia simpliciter clandestinè contracta. 2. quia sic contrahentes clandestinè, sed nulliter (ob impedimentum occultum) eo legitimè sublatò, non essent Rei illius culpæ contra legem illam Tridentini, celebrato prius matrimonio. 3. quia sic etiam dici posset, laborantem duplici impedimento dirimente, v. g. consanguinitate, & voto solennis castitatis, uno tantum titulo nulliter contrahere, dicendo dispositionem juris de voto solenni non esse pro matrimoniis, quæ aliunde subsistere non possunt, quod tamen non bene dicitur.

## §. 2.

## De qualitate Parochi, ad valorem matrimonii.

657. Communis doctrina est, quod esse debeat Parochus proprius, saltem unus ex contrahentibus. Constat ex *Trid. cit. c. 1. Sess. 24. ibi: statuit benedictionem à proprio Parocho fieri*, neque à quoquam, (nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario) licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse; sicut ergo novi Coniuges à proprio Parocho benedici, sic à fortiori ab eodem, & non alio (seclusà hujus licentiâ) copulari debent ex mente Concilii, præsertim cum ibidem pœnam statuat, in quemvis Parochum, & Sacerdotem alium, qui alterius Parochiæ Sponsos, sine illorum Parochi licentiâ, matrimonio conjugere, aut benedicere, ausus fuerit.

658. Difficultas est, quis Parochus censetur proprius ad effectum validè coram ipso contrahendi matrimonium juxta mentem Concilii? ad hoc respondet de Luca *cit. n. 12.* ut quis dicatur Parochianus ad effe-

ctum legitimè, ac juxta formam Tridentini, celebrandi Sacramentum matrimonii coram tali Parocho, non sufficere, quod ipse, vel ejus Sponsa, intra illius Parochiam materialiter habitent, v. g. *causa curandi, se curandi, aut mutationis aëris*: sed requiri domicilium formale, animo scilicet ibi permanendi, ac vivendi, tanquam in domo habitationis.

Quoniam verò hoc ipsum jus formalis domicilii totum pendet ex facti qualitate, ac particularibus circumstantiis, nulla desuper statui potest regula generalis, cuique casui applicabilis. Hinc ea, quæ circa alicujus temporis decursum, sine alio signo, considerari solent, certam regulam non præstant. Unde *vis non est in tempore*, cum benesimul stent, ut illud breve sit, & tamen ex aliis circumstantiis domicilium contractum dicatur; & è converso sit temporis considerabilis, & tamen illud non adfit. Et ideò, ut rectè notat de Luca *cit. num. 13.* tutum non est, in aliquibus declarationibus S. Congregationis, vel Rotæ decisionibus, proditis in diversis casibus particularibus, fundamentum indefinitè constituere, nisi casus, de quo agitur, easdem omnino individuas habeat circumstantias, cum aliàs etiam modica facti diversitas totalem juris diversitatem causare possit.

Hinc dicendum, illum Parochum loci, in quo Sponsus, vel Sponsa moratur, ad effectum matrimonii non eo ipso esse, vel non esse proprium alterutrius Parochum, sub quo ille, vel illa, longo aut brevi tempore, in ejus Parochia fuerit; nam sicut per menses, & ultra, quis morari potest in aliquo loco, sine animo ibi perpetuò permanendi, ac vivendi, sine quo non habetur in tali loco domicilium formale: sic è contra potest quis, cum animo ibi permanendi, ac vivendi, etiam primo statim die, quo ad talem Parochiam venit, fieri Parochianus, & formale ibi domicilium obtinere. Sic Emman. Sà. in *aphorism. V. matrim. num. 2.* & *V. Parochus. num. 2.* Unde sequitur, illum solùm dici ad hunc effectum, proprium contrahentium Parochum, in cujus Parochia, saltem unus eorum, habet domicilium formale. Quare si Sponsi in distinctis Parochiis domicilium formale habeant, tam Sponsi, quam Sponsæ Parochus erit eorum pro-

proprius Parochus ad effectum matrimonii juxta Tridentinum coram eo validè contrahendi; ita communis cum Barbof. *in cit. c. 1. Trid. Sess. 24. num. 10.* Quare negandum est, Parochum loci, in quo quis degit solum materialiter (nimirum sine animo ibi permanendi, & vivendi, tanquam in loco fixi sui domicili) respectu hujus esse proprium Parochum in ordine ad effectum matrimonii coram ipso juxta mentem Concilii Tridentini, validè celebrandi.

661. Net. præterea, in contractu matrimonii, Parochum unius è contrahentibus proprium, eo ipso etiam quoad hoc esse Parochum proprium alterius contrahentis; ita Pirhing *de Clandest. despons. n. 13.* Nam concessa aliquà jurisdictione, conceduntur etiam ea, sine quibus ea jurisdic-tio consistere non potest. *L. 2. ff. de Jurisdic. Omn. Jud. ex c. Præterea 5. de Offic. delegati.* Nam cum Archiepiscopus Senonensis Alexandro III. proposuisset, utrum liceat Iudici delegato, non Ordinario, cogere contumacem, ut veniat; aut damnare, si non venerit? Pontifex respondit: quòd, postquam ei causa, licet simpliciter delegetur, satis potes nostrà auctoritate partes compellere, & etiam contumaces severitate Ecclesiasticà coercere, etiamsi literæ commissionis id non contineant, aut partes mandatum nostrum non habeant, ut accedant; rationem reddit, quia ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. Cum ergo Parochus proprius Sponsi, possit ejus matrimonio assistere cum Bertà v. g. hoc autem fieri non possit, nisi assistat contractui utriusque, jurisdic-tio ipsi concessa quoad hoc, pro matrimonio, seu contractu Sponsi, porrigitur etiam ad contractum Sponsæ, licet aliàs non subdita; dixi, si suo Parochiano assistat in propria Parochia. Nam alia quæstio est, an validè assistat suo, sed in aliena Parochia? Negat enim Basil. Pontius *lib. 5. c. 16.* sed melius affirmat Sanchez. *lib. 3. D. 19.* & Coninch. *D. 27. n. 22.* quia Concilium plus non petit ad valorem matrimonii, quàm assistentiam proprii Parochi; hoc autem stat, esto assistat extra suam Parochiam, præsertim cum assistere matrimonio non sit actus jurisdictionis contentiosæ, aut vo-

luntariæ; ita Barbof. *in Trid. Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. n. 8.*

Si quæras. 1. an in dato casu etiam licitè 662. assistat? Negativam tenet Pontius *cit. n. 11.* sed verius affirmat Sanchez. *cit. d. n. 18.* Parochum, etiam extra suam Parochiam licitè assistere matrimonio sui Parochiani, intellige, secluso scandalo; quia talis assistentia nullibi prohibita est; nec ibi, ubi hæc assistentia fit, de necessitate faciendâ & Sponsorum benedictio, quam matrimonio esse necessariò conjunctam, & Parochum extra suam Parochiam Sponsi posse impendere, negat Castropalaus de sponsal. *D. 2. p. 13. §. 9. n. 7.* Barbof. *cit. n. 150.*

Si quæras. 2. an Sacerdos delegatus 663. validè assistat extra Parochiam delegantis? Resp. affirmativè; quia vi Tridentini plus non requiritur; quàm ut assistat proprius Parochus, vel alius, de ipsius licentia Sacerdos; sed hoc contingit, esto id fiat extra Parochiam, vel etiam dioecesim, committentis; & ratio est, cum id licitè faciat proprius Parochus; non est, unde id alteri ad hoc idoneo delegare non possit. Censet tamen Pirhing *cit. n. 16.* quòd sine licentia Parochi loci, vel ordinarii sic, assistendo, peccet, & puniri possit, si solemniter, & publicè assistat matrimonio in aliena Parochia, vel dioecesi, id, quod, secluso scandalo, rectè negat Sanchez. *sup. cit.* nisi aliud habeat praxis dioecesana.

Si quæras. 3. an proprius Parochus 664. validè, ac licitè assistat matrimonio suorum, licet non sit Sacerdos? Resp. affirmativè; quia vi Tridentini, plus non requiritur, quàm ut assistat proprius Parochus; sed hoc contingit in dato casu, esto non sit Sacerdos; præsertim, cum ejus assistentia non alio titulo, quàm testis ab Ecclesia deputati, requiratur.

Si quæras. 4. an alius etiam Parochus, 665. sed non Sacerdos, de licentia proprii Parochi validè assistat matrimonio? Resp. Negativè, quia vi Tridentini requiritur, ut assistat, vel proprius Parochus, vel alius de ipsius licentia Sacerdos. Hinc proprius Parochus non potest alteri Parochi non Sacerdoti dare licentiam assistendi matrimonio; esto foret Diaconus, vel Subdiaconus; potest tamen etiam simpliciter Sacerdoti, licet necdum approbato ab Or-

ab Ordinario; quia sic jam verificatur constitutio Tridentini.

666. Si quæras, 5. an proprius Parochus validè assistat matrimonio, licet sit excommunicatus? Resp. affirmativè; quia sic jam verificatur constitutio Tridentini. Et ideo validè assistit, licet sit excommunicatus etiam vitandus, licet suspensus ab officio, & beneficio, licet irregularis, vel administratione interdictus, modò non sit actualiter depositus; quia sic assistit verè proprius eorum Parochus.

667. Si quæras, 6. an validè assistat proprius Sponsorum Parochus, qui est solùm ex titulo colorato? Resp. affirmativè, si communi errore reputetur habere verum titulum, esto in re talis non sit. Quia tali casu propter bonum publicum jus supplet defectum, ex L. Barbarius ff. de offic. Prætor. (secus est de intruso, seu non Canonice ingresso; quia talis caret titulo colorato) idem, quod dictum est de Parocho ex titulo solùm colorato, resolvit Barbof. in c. 1. Trid. Sess. 24. de Reform. matr. n. 79.

de Parocho putativo. 2. de Parocho habente injustum titulum sui beneficii. 3. de Parocho non promotò infra annum. 4. de illo, cui præter defectum examinatorum Synodali collatio nulliter facta est ob nullitatem concursus. 5. de Parocho Schismatico, habente saltem coloratum titulum. 6. de Parocho fornicario notoriè, non tamen adhuc in iudicio condemnato & confessò. 7. de existente in peccato mortali. 8. de prohibito ab Episcopo, ne matrimonio assistat.

668. Si quæras, 7. an Parochus Catholicus licitè assistat matrimonio hæreticorum in sua Parochia degentium? Resp. affirmativè, de hæreticis toleratis. Nam sic non sunt vitandi, præsertim cum Parochus non sit Minister Sacramenti matrimonii, sed tantùm testis; quod dic procedere, si assistat tali matrimonio, servatis ritibus Ecclesiæ Catholicæ, nec admittis, quibus alterius Sæctæ, & erroris aliqua professio fieret. Sic Castropalaus D. 4. de sponsal. p. 11. n. 13.

669. Si quæras, 8. quis sit proprius Parochus *Vagorum* ad effectum matrimonii validè contrahendi juxta formam Tridentinè? Resp. quòd ille, in cujus Parochia transeunt commorantur. Præcipitur tamen Parochis, ne illorum hominum matrimo-

niis assistant, nisi prius de illorum statu & habilitate ad contrahendum, diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatà ab eo licentiam id faciendi obtineant. Ita Trident. Sess. 24. c. 7. ibi: *multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenui, primà uxore relicta, aliam, & plerumq; plures, illà vivente, diversis in locis ducunt; cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facillè recipiant; magistratus etiam seculares hortatur, ut eos severè coercant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatà, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Ex hoc sequitur, Parochum his 670. ommissis, vagos copulando mortaliter peccare; cum in re gravi præceptum violer. Censentur autem *Vagi*, qui incertas sedes habent, seu nullum certum domicilium; item illi, qui prius domicilium deserentes omnino aliò tendunt, ut novum domicilium acquirant; dum in via sunt. Conclusio procedit, si tantùm unus contrahentium vagus sit; sic Barbof. in Trid. cit. à n. 1. Hujus ratio est ex lib. 1. tit. 2. de Constitut.

Si quæras, 9. quis censeatur proprius 671. Parochus ad effectum administrandi hoc Sacramentum militibus, qui in castris, atq; ipso exercitu sunt? responderetur, eum esse ejusdem exercitus Capellanum; si autem considerentur pro tempore, qui in hybernis, non in castris, & papilionibus, sed in civitatibus locisque habitatis (Vulgò, in *quarteriis*) vivunt? resolutio pendet ab observantia, & tenore facultatum eidem exercitui Capellano, seu Vicario attributarum. Sic de Luca cit. di. scursu 26. num. 17.

Si quæras 10. an obstat Sponsis (ut 672. censeantur de tali Parochia) quando affectatè (nimirum ad declinandam impedimenta, & obices, quibus vel per parentes, & consanguineos, vel alios impedirentur) à matrimonio (præsertim inæquali) ad aliam se transtulerunt? Respondet de Luca tit. de matr. discursu 1. n. 9. Congregationem Concilii censuisse, hanc fraudem, seu affectationem non ob-

stare; quia aliàs præberet præjudicium libertati matrimonii, cum inæqualibus personis, sive præter parentum, vel conjunctorum voluntatem contrahendi; quoniam, cum id in consueta Parochia propria, stante necessitate trinæ denuntiationis, absque publicitate sequi non valeat, de facili impediri possent, & cum dicta resolutione processum fuisse in plerisque aliis casibus, relatis per Fagnan. c. significavit, de Paroch. ita ille.

Ex hoc sequitur, licet ad aliorum, quorundam Sacramentorum administrationem, in Viatoribus, peregrinis, vel iis, qui gratiâ recreationis, sive collectionis fructuum, aut pro aëris beneficio, sufficiat accidentale, seu occasionale domicilium, vel habitatio in loco aliquo, ad ejusmodi fines electo: ad validam tamen administrationem Sacramenti matrimonii non sufficere; cum vi formæ Conciliaris habeat peculiarem qualitatem, quæ desiderat domicilium verè, ac propriè contractum, de quo Sanchez, lib. 3. hic D. 23. à num. 9.

§. 3.

*Qualis præsentia Parochi & Testium esse debeat?*

673. Cum finis, propter quem Tridentinum Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. ad valorem matrimonii contrahendi exigit præsentiam Parochi, ut formam, potissimum sit, ut Ecclesiæ per ipsius depositionem, ac testimonium constet de externo consensu Sponsorum per verba de præsentem, & caveatur voluntaria dissolutio matrimonii, quod etiam clam factum, olim valebat, sequitur, eam præsentiam sufficere, quâ hoc ipsum sufficienter intelligere possit ad legitime de illo deponendum, si tales clandestini Conjuges ab invicem recederent, ut ad illud servandum cogi possent. Et illam præsentiam Auctores vocant *præsentiam moralem*, id quod ex eadem ratione de assistentia Testium dicendum venit. Ex quo sequitur, nullum Parochi, vel Testium requiri consensum, sed sufficere, ut *coram eis* explicetur Sponsorum consensus per verba de præsentem, quamvis *invitis*, ac *vi detentis*, vel *cum fraude* sub alio etiam titulo *voca-*

*tis*, modò Parochus & testes sic adint, ut intelligant, & sciant, quid agatur; ita Sanchez, lib. 3. hic. D. 39. à n. 1. cum communi.

Hinc, quando dicitur, non sufficere præsentiam *merè materiale*, & *de facto*, verum dicitur, si adessent ita, ut non scirent, ac intelligerent, quid agatur; ut si Sponsi contraherent coram Parocho & Testibus, rationis usum impeditum habentibus, vel dormientibus &c. si autem intelligant, quid agatur, habetur præsentia moralis, licet reclamant, aut studiosè intelligere nolint &c. Sic, tanquam validè contractum matrimonium habebatur illud, quod Comitis Molæ filius cum Maria de Sciart, natalibus æquali sed fortunâ longè inferiori (ut patrem lateret) coram Sponsæ Parocho, Missam celebrante, dum conversus ad populum diceret: *Dominus vobiscum*, apprehensâ dictâ Mariâ per manum, contraxit dicens, eidem Parocho coram Testibus: *hanc accipio in meam Uxorem*, Mariâ respondente, ac repetitis vicibus dicente: *Signor si*, non obstantem, quod Parochus indignatus, responderet, *estis excommunicati &c.* de quo fusè Joann. Bapt. de Luca lib. 14. tit. de matr. disc. 1. à n. 1.

Præter proprium Sponsorum Parochum, duos, vel tres testes requiri, constat ex sæpe cit. Trident. c. 1. Sess. 24. & sufficere *moralem* eorum præsentiam ex dictis n. 673. in his porrò nulla alia qualitas necessariò requiritur, quàm ut habeant sufficientem usum rationis, ut de eo, quod inter contrahentes actum est, testari possint, testimonio sufficiente jure naturali; ita Castropal. D. 2. de sponsal. p. 13. §. 13. n. 3. Hinc opus non est, ut isti sint omnino idonei, ac omni exceptione majores; modò tales sint, qui valeant intelligere, quid contrahentes velint, & agant. Et ideo favore matrimonii receptum est, ut etiam *Testimonium Parentum*, vel *Conjunctorum* admitti debeat, qui de Sponsorum consensu præstito deponant per c. *Videtur*. 35. q. 6. c. *Videtur*. Qui matrimonium accusare possunt; nisi sint potius pars interessata, & quasi principalis in causa; ut si deponerent, *affectantes matrimonium*, vel ad reparandum honorem tum filiæ, tum proprium, ob copulam forè secutam, inter

inter contrahentes, vel saltem ob ejus dif-  
famationem. Unde, cum dicitur, paren-  
tes recipi posse in testes pro filiis, procedit  
*in his, quæ melius per eos sciri possunt.* Sic  
Barbof. in c. *Videtur. qui matr. accusare poss.*  
n. 3. cum aliis.

676. Quæstio est, an unus ex Testibus,  
qui assistunt matrimonio, possit simul esse  
Mandatarius, seu Procurator, ex man-  
dato Sponsi constitutus ad contrahendum  
nomine Sponsi? Casum adhuc pendere  
indecisum, ait de Luca *cit. in annotationi-*  
*nibus ad lib. 14. discursu 26. n. 3.* Negati-  
vam tamen esse probabiliorē, tum quia  
Mandatarius sic deberet esse Testis de suo  
facto, nomine Principalis; tum quia  
Tridentinum, exigens duos testes, qui de-  
ponere possint de facto contrahentium,  
videtur exigere duos testes à contrahenti-  
bus distinctos, non tantum principalibus,  
sed etiam, qui solo ministerio, & mandato  
tales sint.

## §. 4.

## De Sacerdote delegato.

677. Valide, licet quæque matrimonium con-  
trahi etiam coram alio, quam proprio  
Sacerdote, ab hoc, vel Ordinario ad id  
delegato, seu licentiam habente, const. à  
n. 562. ad quæ not. quod Sacerdos, de li-  
centia proprii contrahentium Parochi ad-  
stiturus matrimonio, valide assistat, etiam  
mortuo interim Parocho illo, si dum ad-  
stitit, mors ignorabatur; secus, si scie-  
batur; sic Cardinal. de Lugo *in respons.*  
*moral. lib. 1. d. 35.* his præmissis:

678. Quæstio 1. est, quis possit dare licen-  
tiam alteri Sacerdoti; ad assistendum ma-  
trimonio? posse id Parochum, vel Ordi-  
narium pro suis Parochianis, const. ex  
n. 635. Ubi not. hic *nomine Episcopi vel*  
*Ordinarii* venire etiam alios jurisdictione  
quasi Episcopali præditos, & proprium  
territorium habentes. 2. Vicarium gene-  
ralem Episcopi, etiam absq. speciali com-  
missione. 3. Capitulum sede vacante.  
4. Legatum Papæ, in Provincia suæ lega-  
tionis. 5. Archiepiscopum etiam in dice-  
cesi suorum Suffraganeorum, sed tan-  
tum, cum actu visitat, vel causa ad eum  
devoluta est, per appellationem. Nam  
aliàs in subditos eorum jurisdictione car-  
ret: quod diximus de Vicario gener. Epi-  
Tom. IV.

scopi, procedere vult Barbof. *in Trident.*  
*Sess. 24. c. 1. n. 106.* de illo, esto non esset  
Sacerdos; quia ille assistit jure Ordinario.  
Ex quo sequitur, eum, *etiam non Sacerdo-*  
*tem,* valide assistere eorum matrimonio,  
quorum potest Episcopus jure Ordinario  
etiam non Sacerdos; cum Vicarius Epi-  
scopalis jurisdictionem habeat eandem,  
cum Episcopo, non distinctam; Pirhing. *de*  
*Offic. Jud. delegat. n. 1.*

Quæstio 2. cui possit dari hæc licen- 679.  
tia? Resp. quod vi Tridentini *cit. nulli, nisi*  
*Sacerdoti,* ut const. ex n. 635. excipie sum-  
mum Pontificem, cum illa Tridentini  
dispositio sit juris tantum Ecclesiastici.  
Porro licentiam illam debere esse *expres-*  
*sam,* resolvit Barbof. *cit. à n. 108.* quod  
sic accipe, ut non sufficiat licentia tacita,  
pendens à rarihabitione de futuro; quia  
sic non esset verum, quod assistat Pa-  
rochus, vel alius Sacerdos ab ipso licentiam  
*habens,* sed tantum *habiturus:* secus est,  
si licentia tacita antecedit matrimonium,  
& sit de præsentibus; ut si alius Sacerdos  
matrimonio assisteret vidente, nec, cum  
facile posset, contradicente Parocho.

Resolvit 2. sufficere *licentiam gene-*  
*ralem,* quæ conceditur facultas à Parocho  
exercendi Parochialia, vel omnia Sacra-  
menta in sua absentia, licet data foret con-  
tra prohibitionem Episcopi, nec opus esse,  
illam dari in scriptis; sic Barbof. *cit. à*  
*n. 108. & seq.*

Resolvit 3. eam licentiam debere  
concedi *ante actum* assistendi (aliàs non  
assisteret *habens* licentiam) nec obesse,  
si expracticetur dolo, & fraude, si dolus  
sit causa tantum impulsiva; non autem, si  
finalis, seu motiva concessionis.

Hujus postremi ratio est; quia fieri 680.  
posset, quod Parochus non proprius (*spe-*  
*lucris promissi*) allatis gravibus, ac veris  
causis omittendi denuntiationes, ab Or-  
dinario, vel ejus Vicario petens licentiam  
assistendi eorum matrimonio non factis  
proclamationibus, illam obtineret, falsò  
putante, Sponsos aliunde de ipsius Parochia  
esse, quo casu assistentiam illam, conse-  
quenter matrimonium coram eo contra-  
ctum invalidum esse, probabilius est; quia  
sic nec coram proprio, nec coram alio  
Sacerdote licentiam habente contraxe-  
runt, quia mens concedentis non ferebat,  
*in licentiam assistendi,* quæ, credebatur,  
eum

eum non egere; sed in omissionem denuntiationum, quam suaserunt causæ propofitæ, de quo V. de Luca cit. l. 14. Tit. de Matr. discursu. 1.

681. Quæstio. 3. est, an delegatus, facultatem assistendi matrimonio, possit validè subdelegare? Resp. delegatum regulariter non posse subdelegare. c. Cum causam, 62. de appellat. § L. 1. §. 1. & L. 3. ff. de Offic. ejus, cui mandata est, jurisdictio. dixi regulariter. 1. quia fallit, si quis sit constitutus sit sub potestate subdelegandi, ut not. Zoësius de Offic. Jud. delegat. num. 7. deinde, si quis sit delegatus ad universitatem causarum; quia talis habet eandem jurisdictionem cum delegante; quod tamen intellige de subdelegatione ab hoc facienda solum pro casu particulari, non ad universitatem causarum, ut rectè not. de Luca cit. discursu. 26. n. 26. secus dicendum est de delegato ad casum particularem, vel ad assistendum solum matrimonio certarum personarum. Talis enim potestatem delegatam subdelegare non potest, ut not. gloss. in cit. c. Cum causam. V. delegatus. Ex hoc sequitur, quòd Parochus, vel alius Sacerdos, licentiam sibi concessam ab alio, ut assistat matrimonio duorum, expressè nominatorum, v. g. Titii, & Bertæ, non possit committere alteri, v. g. suo Capellano, vel Regulari, qui fortè tunc apud eum commoratur; quia sic talis Parochus, vel Sacerdos, est delegatus ad casum solum particularem.

682. Dixi duorum expressè nominatorum. Nam circa hoc quæri potest, an sufficiat, esto Sponsi non nominentur expressè? si contingat, quosdam esse copulandos, ut eorum saluti consulatur, ne in loco suæ Parochiæ, vel diocesis eorum matrimonium innotescat, præter causas gravissimas (puta, si contrahendum sit inter valde inæquales) ubi si consanguineis constaret hoc matrimonium, vel alter, vel uterque gravissimè periclitaretur, prout non semel in facti contingentia ostendi potest. Resp. si is, à quo Sponsi petunt copulari ex ejusmodi causis, non sit Parochus eorum proprius, & ad proprium eorum Parochum, vel Episcopum (tacitis eorum nominibus) necessitatem contractus, pro eorum salute, scribat, & licentiam eorum matrimonio assistendi obtineat, licitè, validè

que celebrari coram eo matrimonium, quia sic servatur substantialis forma Tridentini, quòd contrahant coram alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia; quo casu satis est, si testes, arcani apprimè tenaces adhibeantur, licet non sciant nomina contrahentium; cum sufficiat, quòd sciant contractum factum, sub istis circumstantiis. Delegatus tamen talis non possit id, quod sibi concessum est, subdelegare; cum delegatio tantum ad casum particularem facta sit.

683. Quæstio. 4. an sufficiat licentia data Sponso, v. g. quòd possit conjungi per quemlibet Presbyterum? Resp. affirmativè; quia si tali casu contraheret coram eo, quem ad hoc delegit, verificaretur forma substantialis, quòd contraxerit coram Sacerdote, ad id licentiam habente: secus est, si Sponsi licentiam peterent sub alio nomine, non suo. Nam cum delegatio sit stricti juris, intelligenda venit inter limites verborum, nec extendi de personâ in personam, etiam de consensu partium, qui dare non potest jurisdictionem personæ privatæ illum habitualitè non habenti, juxta c. Significavit de Rescript. § c. P. & G. de Offic. deleg. excipie, nisi concedens habeat in animo faciendi talem rem, vel annuendi tali personæ, licet in verbis ex errore exprimat aliam. Arg. L. si in nomine C. de Testam.

## ARTICULUS II.

### De matrimonio clandestino secundum quid.

684. Seu matrimonio celebrato præmissis denuntiationibus. Tale matrimonium, etiam jure antiquo (seclusâ dispensatione) illicitum erat, ut const. ex c. inhibitio. 3. de Clandest. despons. cujus textum retulimus supr. Jure autem novo Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. matr. c. 1. sequentia statuta sunt. 1. ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parochis, tribus continuis diebus festivis, inter Missarum solennia, publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.

Secundò, ut his denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesie procedatur. Tertiò, ut tunc Parochus Viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c. vel aliis utatur verbis, juxta receptum cujusque Provinciae ritum. Quartò, quòd, si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, siot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parochò, & duobus, vel tribus testibus presentibus matrimonium celebretur, deinde, ante illius Consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut predictæ denuntiationes remittantur, quòd ipsius prudentia, & judicio, Sancta Synodus relinquit. Sic Concilium.

Ex dictis coll. 1. præceptum non contrahendi matrimonium omittis denuntiationibus eo potissimum sine conditum, ne matrimonia in gradibus prohibitis contrahantur, sed, si quæ fortassis inter Sponsos essent impedimenta, factis proclamationibus, ab his, qui aliquid de his noverunt, Ecclesie detegantur, constat ex n. præced. ibi: *si nullum legitimum &c.* & ibi: *ut si aliqua subsint impedimenta*: has autem denuntiationes de jure novo, ac seclusà dispensatione, ternas esse debere, ibi: *ter publicè denuntietur*; 2. fieri debere à proprio contrahentium Parochò, ut habet textus in *cit. n. 684.* vel ab alio ex ejus delegatione, prout ostendit communis Ecclesie usus, & praxis. 3. debere fieri publicè, nimirum, ubi frequens est concursus populi. 4. in Ecclesia inter Missarum Solemnia: si tamen etiam extra Ecclesiam, & Missarum solennia, (nimirum in loco, quo ingens hominum multitudo accedit, ut ad multorum hominum noticiam perveniant) validè sunt; cum sic satisfieri æque possit intentioni legis; sic Reginald. in *praxi fori penitent.* lib. 31. n. 227. & alii. Coll. 2. has denuntiationes regulariter debere fieri priùs, quam Sponsi matrimonium celebrent, ex n. 684. ibi: *his denuntiationibus factis &c.* dixi, regulariter. Nam Episcopus ex causa dispensare potest. 1. ut sufficiat tanquam

una, vel postponantur, aut omittantur, ex eodem. Quod hoc facilius fieri potest, quo causæ sunt urgentiores, & propè certum, nullum, etiam iis factis, proditorum impedimentum.

Quæstio autem est 1. an etiam alii, 686. Episcopo inferiores, possint ex causa dispensare in denuntiationibus, eo modo, quo potest Episcopus? Resp. hanc facultatem posse Episcopum alteri delegare; sic Rebuffus in *Praxi benefic. de forma Vicariatus n. 155.* Est enim potestas ordinaria Episcopi, cujus nomine etiam veniunt alii Prælati, minores, jurisdictionem quasi Episcopalem, & proprium territorium obtinentes, ut dictum est alibi. De Generali Vicario Episcopi, affirmat communis, illum posse similiter ex causa dispensare in denuntiationibus; quia venit appellatione Ordinarii; sic Ægid. Coninck *tom. 2. D. 27. n. 55.* & alii, licet contrarium sentiant aliqui apud Barbof. in *cit. c. Trid. Sess. 24. c. 1. n. 50.* Ubi tamen nota, quòd talis Vicarius non possit hanc facultatem generaliter, sed tantum specialiter delegare, ut observat Sanchez. *cit. D. 7. n. 21.* quod maximè procedit de Vicario temporali, qui ad breve tempus potest constituere, sui loco alium Vicarium, quamvis unum, vel alterum casum possit delegare; sic Azor *p. 2. lib. 3. c. 6. q. 10. Castropal. tr. 13. D. 1. p. 8. n. 4.* Illud etiam notandum, quando contrahentes sunt ex diversa diocesi, pro utroque contrahente sufficere, quòd in denuntiationibus dispense, vel Ordinarius Sponsi, vel Ordinarius Sponsæ; ita Sanchez. *lib. 3. hic D. 7. n. 7.* & alii; quòd verum est, quamvis matrimonium fiat in diocesi alterius; juxta Coninck *cit. D. 27. num. 54.* quia sic matrimonium non celebratur omittis denuntiationibus sine dispensatione Ordinarii; ergo nihil agitur contra præceptum Tridentin. in *num. 684.*

Quæstio est. 2. quæ censeantur causæ legitimæ, ut verificetur, ejusmodi dispensationem factam ex causa sufficientem? Resp. *ut omitti possint*, sufficere, quòd sequeretur infamia, ut si, qui diu putativi conjuges erant, denuntiarentur. 2. si est magna conditionis, & tatis, divitiarum, & qualitatis inæqualitas; quæ, si Sponsi publicarentur, magnum injicerent illis pudore-

pudorem, periculum inimicitarum, &c. 3. periculum animæ sive proprium, sive alienum &c. 4. favor in bonum Ecclesiæ cedens, qualis sæpe censetur factus Magnatibus, si à publicationibus eximantur &c. *ut postponantur*, sufficit primò legitimatio prolis in mortis articulo, vel securitas ad decedendum in bono statu; 2. si secus, matrimonium impediretur malitiosè, hoc est, inique, & contra rationem. Denique quæcunque notabilis contrahentium commoditas, sive temporalis, sive spiritualis, præstat justam causam omittendi, vel saltem postponendi denuntiationes ex dispensatione Ordinarii; sic Castropal. *D. 2. p. 13. §. 4. n. 8.* & Barbof. *cit. à n. 62.*

688. Quæstio est. 3. an Ordinarius, ob prædictas causas, *teneatur* dispensare? quòd possit, non est dubium; sed an obligetur? affirmant plures apud Sanchez. *lib. 3. hic D. 10. n. 6.* sed iste solum tunc admittit, quando bono communi, & particulari contrahentium maxime expedit; ut, si malitiosè matrimonium aliàs impediretur, si interveniat contrahentium disparitas, periculum animæ &c. & si Ordinarius tali casu dispensare nolit, poterunt Sponsi omittis denuntiationibus contrahere; quia leges Ecclesiasticæ non ligant cum tanto damno; ita Coninck *D. 27. d. 6. n. 59.* Prælati enim ex officio tenentur bono communi, & speciali suorum subditorum graviter necessario providere. Unde quando Concilium id relinquit Ordinarii arbitrio, non idem est, ac *libertati*, sed *prudenti judicio*, an in tali casu dispensatio, an aliud medium adhibendum sit? ne matrimonium malitiosè impediatur. Ad hoc autem sufficit cognitio extrajudicialis; cum sufficiat arbitrium Episcopi, quo significatur arbitrium prudentiale & ratione regulatum, quod stat absque judiciali.

Hanc in denuntiationibus dispensandi facultatem jure antiquo, prout constat ex CC. Lateran. relato in c. *Cum inibitio de Claudest. despons.* non habuit Parochus; & quia Tridentinum quoad hanc materiam nihil mutavit in jure antiquo, nec jure novo Parochus dispensare potest in denuntiationibus; sic Castropal. *cit. D. 2. de spons. p. 13. §. 4. n. 3.* licet sit probabilis suspicio, matrimonium malitiosè

impediri posse, si denuntiationes fiant. Quamvis apud eundem, contrarium prodato hoc casu sentiant Vera Crux, Candelabrum aureum, & Petrus Ledesma.

Quæstio est. 4. an Parochus *licitè* 689. assistat matrimonio suorum omittis denuntiationibus? Resp. *per se loquendo* non posse, quia præceptum Tridentini est, ut ad celebrationem matrimonii *in facie Ecclesiæ* non procedatur, nisi *his denuntiationibus factis*; de quo Barbofa *cit. n. 33.* monet Parochum, ne statim, atque denuntiationes factæ sunt, ad celebrationem matrimonii procedat; ut liceat his, qui denuntiationes adierunt, de impedimentis cogitare, eaque aperire, ne scilicet suo sine frustrentur, nisi temporis angustia prematur, v. g. instantis adventus, vel quadragesimæ; tunc enim sine illis coram Parocho & Testibus Sponsi licitè contrahunt, si non sit reversus ad eum, qui dispensare possit; sic Layman. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 10.* & alii. dixi *per se loquendo*, 1. quia, si etiam culpabiliter omitteret, matrimonium tamen coram illo, & legitimis testibus celebratum, valeret; nam denuntiationes non sunt de valore matrimonii. Deinde Parochum, metu mortis omittentem denuntiationes, quando non facit in contemptum Clavium, non peccare, tenet ex Sanchez Barbofa citatus num. 30. quod etiam affirmat stante gravi, & legitima causâ, Coninck *cit. D. 27. n. 51.* Sanchez. *lib. 3. hic D. 5. n. 6.* & alii; quia præceptum juris humani, in re, quæ non est de substantia Sacramenti, vel speciali etiam significatione actionum præceptorum, non censetur obligare cum tanto rigore; præsertim, cum, si cum impedimento contraherent, eo ipso nulliter agerent.

Quæstio est. 5. an si Sponsi sint in 690. distinctis Parochiis, in qualibet earum, denuntiationes fieri debeant? affirmativa est communis, cum id exigat finis præcepti, de quo n. 684. si tamen unus eorum haberet plures Parochias, faciendæ forent in ea, in qua vel principalem, vel diutius habitat: vel potius in ea, in qua verosimilius sciri melius possunt impedimenta, ut tenet Barbofa *cit. num. 26.* & alii. Nam ad hanc notitiam habendam potissimum diriguntur

eur prædictæ proclamationes eorum, qui matrimonium inire volunt.

691. Quæstio est 6. an denuntiationes licite fiant etiam extra dies festivos, & quidem interpolatos? non posse fieri diebus feriatis, etiam cum dispensatione Ordinarii, docet Zerola in *praxi Episc. p. 1. V. Matrimonium S. 4.* & alii, quos cit. & seq. Barbof. in *Tridentinum cit. n. 22.* quia Concilium expressè loquitur de diebus festivis. Verùm hoc meritò limitatur, ut non procedat de festis tantum ex præcepto. Nam licet sit dies feriatas, si tamen in aliquo, eo die, celebraretur aliqua solennitas in Ecclesia Parochiali, quò frequens populus concurreret, licite fierent, & fini à lege Tridentini quæsito satisfieret. Accedit, quòd etiam contrarii hoc admittant in casu, quo ex præcepto esset festum, solum ad meridiem; ita Sanchez. *lib. 6. hic D. 6. num. 9. &c.*

692. Ad alterum, an, & qualiter debeant esse dies continui? Resp. id plurimum pendere ab usu, quo decretum Concilii quoad hoc in Ecclesiis receptum est. Cæterum etiam ex praxi certum est, non requiri tres dies immediatè continuos, & immediatè sibi succedentes; præsertim cum fini per legem intento rectius satisfiat, si inter unam & alteram denuntiationem tempus aliquod intercedat, quo derur tempus cogitandi, ac aperiendi, si quod impedimentum occurreret, ut rectè notat Coninck *cit. D. 27. dub. 5. n. 27.* quamvis Sanchez. *cit. D. 6. n. 8.* rectè moneat, non debere nimis multos dies festos inter unam & alteram denuntiationem interponi, ne audientes decipiantur, rati superesse alias, consequenter tempus adhuc impedimentum denuntiandi.

693. Quæstio est 7. qualiter contrahentes à Parocho de mutuo consensu interrogandi? & quibus verbis conjungendi sint? Resp. Parochum, vel delegatum assistentem matrimonio graviter obligari, Sponfos interrogare de mutuo consensu, prout constat ex illis verbis: *Viro & muliere interrogatis, ubi habetur in n. 684.* nimirum, an femina hunc velit in suum maritum, & vicissim? dixi *graviter*, si ipsi & testibus non constet de illo; non autem secus, ut tenet Bonacina *de matr. q. 1. n. 40.* Qualiter autem consensus sufficienter exprimi possit? dictum est *quæst. 1. à 376.*

quibus porrò verbis, dum Sponfos matrimonio conjungit, uti debeat, præscribit ipsum CC. ut dictum est *n. 684.* an autem grave peccatum sit, ea verba omittere? Affirmat Rebellus *de obligatione justitiæ l. 2. q. 7. f. 1. n. 4.* cum violetur Concilii præceptum; sed probabilius est cum Sanchez. *l. 8. hic D. 38. n. 7.* secluso contemptu, & scandalo, esse tantum veniale; cum ea Cæremonia nec ad valorem matrimonii, nec ad procurandam impedimenti, si quod esset, notitiam pertineat.

### ARTICULUS III.

#### De Pœnis matrimonii clandestini.

Ex pœnis contra matrimonium clandestinum statutis aliquæ afficiunt *liberos* ex tali matrimonio natos; aliæ *Parochum*, & *testes*, aliæ *ipfos contrahentes*. Supponendum autem, hic agi de *clandestinitate culpabili*; aliàs enim non foret locus pœnæ *c. sine causa 27. de Reg. juris in 6.* difficultas autem est, an, dum agitur de pœnis matrimonii *clandestini*, sub hoc nomine veniat matrimonium, *quovis modo clandestinum* juxta diversas clandestinitatis species jam expositas in *n. 632.*

#### S. I.

#### Quale matrimonium clandestinum subjaceat pœni à jure statutis?

Resp. probabilius esse, nec matrimonium ante benedictiones nuptiales consummatum; nec ante legitimam ætatem initum; nec contra fidem priorum Sponsalium contractum: nec denique contractum sine solennitate, quæ habetur in *c. Aliter. 30. q. 5.* (nempe absque consanguineorum notitiâ) contractum, rectè *clandestinum* dici, prout *clandestinitas* subjacet pœnæ juris: sed tantum vel *clandestinum simpliciter*, vel *secundum quid*, ut patebit ex seq. Quare illæ quatuor species non tam matrimonia clandestina sunt, quàm *minus solennia*, ut rectè not. Sanchez. *lib. 3. hic D. 1. à num. 1.* quæstio igitur procedit solum de matrimonio clandestino propter denuntiationes culpabiliter omittas, vel propter defectum præsentia Parochi, & Testium. Igitur

Prima

696. Prima dubitatio est, an matrimonium sit clandestinum relatè ad pœnas, si justè omisiss denuntiationibus contractum, consummetur ante easdem ex obligatione consummationi præmittendas? Affirmativam sequitur Gutierrez. 2. p. q. 4. quia tali casu, quando non præmittuntur ante consummationem, jam illicitè omittuntur: sed probabilius negatur, quia matrimonium non est clandestinum, quoad pœnas, nisi contractum clandestinè clandestinitate culpabili: pœnæ enim, impositæ sunt clandestinè contrahentibus, non utcunq; sed cum culpa ex omissione imputabili: sed in hoc casu matrimonium non est clandestinè contractum cum culpa ex omissione imputabili, ut ponit casus, cum in contrahendo justè prætermisissæ sint; ergo.

697. Secunda dubitatio est, an matrimonium sit clandestinum relatè ad pœnas, si contractum sit, culpabiliter omisiss denuntiationibus? Resp. etià negativam tenet Petrus Ledesma q. 45. de matr. a 5. probabilius tamen affirmari; sic Hostiens. in c. fin. de Clandest. despons. V. Hujusmodi & c. ex Tenore. Qui filii sint legitimi. V. in facie, & alii. Quia matrimonium, omisiss culpabiliter denuntiationibus, esto coram Parocho, & Testibus celebratum, jure antiquo agnitum est clandestinum, clandestinitate, supra quam pœnæ in matrimonium clandestinum statutz cadebant; ut constat ex c. fin. §. si quis verò, de clandestina despons. ibi: pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum (de præmittendis denuntiationibus) in conspectu Ecclesie contrahere præsumserunt, quam juris antiqui dispositionem Tridentinum non tantum non correxit, vel immutavit in hoc puncto; sed potius confirmavit; cum in dicta Sess. 24. c. 1. expressè dicit: Sacri Concilii Lateranensis vestigiis inherendo, præcipit Sancta Synodus &c. ut habetur in cit. decreto. Accedit, quòd idem etiam Concilium ibid. c. 5. contrahentibus in gradu prohibito, culpabiliter omisiss denuntiationibus, licet contraxerint coram Parocho, & Testibus, etiam cum ignorantia impedimenti, in pœnam statuat, quòd careant spe dispensationis; ergo signum est, ipsum

velle pœnas juris antiqui permittere in correctas.

Hinc negandum venit, quòd matrimonium non possit dici clandestinum relatè ad pœnas, si celebratum est coram Parocho, & Testibus, & culpabiliter omisiss denuntiationibus; quia, licet Parochus, (qui est persona publica) & testes, nomine Ecclesie adsint, adhuc stat, quòd sit clandestinum secundum quid, quam clandestinitatem, si culpabilis sit, subjctam esse pœnæ juris, ex dict. constat. Nec ad hoc declinandum dici potest, solum puniri eam clandestinitatem, quâ positâ Ecclesie non constabat, nec probari poterat matrimonii contractus factus, neque impedimenta detegi, si quæ forent. Nam contrarium apertè constat ex cit. c. fin. §. si quis, relato n. 697. accedit, quòd ratio dispositionis pœnalis adhuc stet etiam in hoc casu, nimirum culpabilis omissionis mediè, ad impedimentum, si quod esset, detegendum factis denuntiationibus in Ecclesia, vel æquipollente loco multitudinis concurrentis. Et quamvis verum sit, odia esse restringenda, per reg. Odia, de Reg. Jur. in 6. consequenter, verba dispositionis legalis esse propriè, & strictè accipienda; valde autem improprie clandestinum dici matrimonium ex solis denuntiationibus culpabiliter omisiss, cum hoc stante probari possit, per testes; hoc tamen tantum procedit, quando lex ipsa non explicat oppositum: at lex in c. fin. §. si quis, exprimit etiam clandestinitatem ex culpabili omissione solarum denuntiationum, ut dictum est n. 697. & Tridentinum ejus vestigiis insisit, ergo.

Tertia dubitatio est, an matrimonium sit clandestinum relatè ad pœnas juris Ecclesiæ, si celebretur omisiss culpabiliter denuntiationibus, sed coram vel tota, vel majori parte viciniae? Negativam sequitur Innoc. in cit. fin. n. 2. & Abbas ibidem. n. 9. cum aliis. Verum contrarium probabilius est, ut docet Sanchez. cit. lib. 3. hic D. 1. n. 10. quia licet in hoc casu matrimonium fiat publice publicitate simpliciter; non tamen sic publice publicitate legali, eà scilicet, quam jus desiderat, & dispositione pœnali non punitur, ut constat ex dict. Jus enim non punit in hoc casu defectum publicitatis utcumque; sed ejus, quam exigit pro tali actu; at in

at in hoc casu ad actum contrahendi matrimonium non clandestinè, sed publicè, exigit publicitatem per denuntiationes, quoties iudicio Ordinarii non remittuntur; Ergo.

Quarta dubitatio est, an hodie matrimonium clandestinum simpliciter (nimirum contractum sine præsentia Parochi, & Testium) subiciatur iisdem pœnis, quibus antiquo jure? Not. autem, hanc dubitationem solum procedere de pœna, quæ afficit contrahentes; non, quæ liberos ex tali matrimonio natos, vel Parochum assistentem matrimonio clandestino; quo posito: suppon. quòd pœnæ jure antiquo impositæ contrahentibus matrimonium simpliciter clandestinum, procedant solum pro casu, quòd, non obstante tali clandestinitate, tale matrimonium validum erat; non autem, si invalidum. Nam si talis contractus nulliter celebratus est, esto ab invicem Sponsi recederent, & cum alio contraherent, non sequebantur ea mala, quibus cavendis utrumque jus, antiquum scilicet & novum tam severè clandestinos hęc contractus inhibuit, & contrahentes pœnæ subjecit; ita Sanchez. lib. 3. tit. D. 2. num. 5. Castropal. D. 2. de sponsal. p. 13. §. 2. num. 2. cujus ulterior ratio est; quia in dato casu cessat tota ratio legis pœnalis, cujus directus finis in statuendis hęc pœnis est, metu talium pœnarum coercere à matrimoniis simpliciter clandestinis, validè, sed illicitè contractis, necùm de matrimonio contracto non constaret, veri conjuges ab invicem recedentes, & alia conjugia publicè contrahentes, in perpetuis ad ulterius viverent, Ecclesiâ medelam facere non valente propter defectum notitiæ de primo matrimonio, utpotè simpliciter clandestinè contracto; at hoc adæquatè cessat, ubi matrimonium invalidum, & nullum est.

Hinc nota, inter leges pœnales sæpe magnum versari discrimen; quædam enim pœnam statuunt propter solum factum, & pravum animum facientis, licet careat effectu juris, seu valore: sic matrimonium solo facto contrahens cum consanguinea in gradu prohibito, subicitur excommunicationi in Clement. 1. de Consang. similiter, contrahens cum Moniali, jure antiquo contraherebat impedimentum im-

pediens matrimonium cum alia Muliere in perpetuum. c. Hi ergo. 27. q. 1. & tamen in hoc casu punitur solum factum, etsi careat effectu juris, seu valore: è contra verò alix non puniunt factum utcumque, sed tantum secuto effectu juris, seu valore actus, esto illicitè fieret; sic emphyteuta non cadit in pœnam commissi, statutam in vendentes bona emphyteutica, irrequisito Domino, si venditio nulla fuit, ut const. ex L. fin. C. de jure Emphyt. Similiter in c. 1. de sent. excommunic. in 6. Prælati non incurrunt excommunicationem saltem in excommunicantes solâ voce, & non in scriptis, si excommunicatio effectum juris non habet, ut si alter vel paruit, vel appellavit; quia hæc leges pœnales non respiciunt nudum factum, sed conjunctum cum juris effectu.


Quòd autem in pœnis, quæ impositæ sunt contrahentibus matrimonium simpliciter clandestinum, non attendatur nudum factum, sed juris effectus, liquet ex ratione, quam CC. reddit, statuens pœnas in clandestinè contrahentes; quia ex hoc fiebat, quòd tales Conjuges iterum ab invicem recedentes, cum alia palàm contraherent, & cum ea in perpetuo adulterio viverent: sed hæc ratio vera non esset, si loqueretur de matrimonio contracto solum de facto, & non de jure, sed validè. Nam si matrimonium esset invalidum, nullum adulterium statu damnationis dignum committerent illi putarivi Conjuges, esto ab invicem recedentes, alia conjugia inirent. Ex hoc tandem deducitur, probabiliorem esse eorum sententiam, quæ negat, ex matrimonio clandestinè, sed invalidè contracto, nunc incurri pœnas impositas contra contrahentes clandestinè, nisi jus exprimat, quòd etiam punitum velit nudum factum & pravum animi facientis; qualiter contingit in casu, quo Trident. Sess. 24. de Reform. Matr. c. 1. irritans matrimonia clandestina nihilominus præcipit Ordinariis, ut ipsos, sic contrahentes, graviter puniant, ex matrimonio clandestinè, sed invalidè contracto; adeoque solum si etiam validè contractum sit, & de valore constet Ecclesiæ; cujus rationem reddo infra. num. 721.

703. Nec obstat, matrimonium simpliciter clandestinum hodie graviorem continere culpam, si spectetur *in se*, & absolute, quam fuerit olim; secus tamen est, *quoad Ecclesiam*, & relate ad illam. Cùm enim hodie tale matrimonium irritum sit, ex recessu Conjugum à priori matrimonio, & novo contracto, hodie non nascuntur ea mala, & adulterini concubitus in secundo, sicut prius, dum tale matrimonium validum fuit. Tridentinum autem, & antiqua jura in dato casu non tam *facti gravitatem in se*, quam relate ad *Ecclesiam*, & mala in iis pœnis attendebant; ergo ex eo, quòd ejusmodi matrimonium hodie *in se* gravius sit, ac olim, non sequitur, hodie locum esse pœnæ, sicut olim. Quando autem dicitur, *facta contra legem pro infectis haberi, quantum ad utilitatem facientis*; secus, *quoad damnum*, non procedit universaliter; Fallit enim, si factum solum sit contra legem præcisè prohibentem; sic matrimonium contra impedimentum solum impediens non habetur pro infecto etiam quoad utilitatem facientis, cum jus ei faveat, ut nihilominus validè contrahat. Secundo quando factum est contra legem *annullantem* actum, ex defectu formæ substantialis non servatæ, non habetur pro infecto etiam quoad damnum facientis, nam (ut volunt aliqui, inter quos est Sanchez apud Castropal. *de Sponsalibus d. 4. p. 10. n. 3.*) si quis nulliter contrahat cum Berta, non ideo subit damnum, quo prohibetur ducere Cajam, sororem Bertæ, in casu, quo nullitas oritur ex clandestinitate. Hujus ratio ulterior est, quia in præsentī casu agimus *de lege pœnali*, non utcunq; sed specificè de lege pœnali *definiēte pœnam non factò præcisè*, sed *factò cum juris effectu*, ut ostensum est à num. 701. Igitur quando jus antiquum contrahentibus clandestinè statuit pœnam propter mala inde secuta, si clandestinum matrimonium juris effectum, seu valorem obtineat (prout revera olim obtinebat) fieri nequit hodie extensio earum pœnarum in jure novo, ubi tale matrimonium juris effectum, seu valorem non obtinet, quia in hoc casu ea mala non sequuntur, ut probatum est sup. Hinc in casu talis legis pœnalis non debet attendi *gravitas facti*

*secundum se*, sed relate ad *Ecclesiam*, quæ considerat gravitatem facti in ordine ad mala inde nascentia, quando factum obtinet effectum juris, seu valorem.

Ex hoc Coll. cùm dicitur: *pœnam impositam, facienti aliquem actum, habere locum, si talis actus fiat, licet de jure non teneat*, intellige, debere quando lex pœnalis punit præcisè factum, & pravum animi facientis; non autem, quando punit factum cum juris effectu, ex hoc, quòd inde proveniant gravia mala, quorum radicem annullat, non rescindendo, sed ejus valorem impediendo; quia tunc cessat finis directus legis. Similiter quādo dicitur: *quando lex respicit factum, eam non curare de juris effectu, dummodo habeat formam, seu apparentiam facti, præcisè*; qualiter contingit in L. *quid ergo. 13. §. Cùm autem ff. de his, qui not. infam. ibi: sicum ea quis faciat nuptias, vel Sponsalia constituat, quam uxorem ducere non potest, exi notatus*. Unde, cùm dicimus in hoc casu contrahentes clandestinè non subijci pœnis à jure antiquo impositis, *clandestinè contrahentibus*, intelligitur, quando clandestinitas facit matrimonium nullum, quod solum contingit in casu, quando fit in loco, ubi ex dispositione Tridentini sine Præsentiæ Parochi & Testium contractum evadit irritum. Ratio constat ex dictis.

Et ideo contrahentes simpliciter clandestinè in loco, ubi robur suum non obtinet Tridentinum, irritans matrimonia simpliciter clandestina, incurrunt pœnas à jure statutas *contra contrahentes simpliciter clandestinè*; quia tali casu ejusmodi matrimonium, licet clandestinum, valet, ergo lex respiciens factum, conjunctum cum effectu juris, habet locum, ex dictis. Idem dicendum est de matrimonio culpabiliter omissis denuntiationibus celebrato coram Parocho & Testibus, etiam in loco, ubi Tridentinum viget; quia sic adest factum contra legem cum effectu juris; cùm tale matrimonium sit validum; ita Sanchez. *lib. 3. hinc D. 2. num. 8. §. ad sextum*.



## §. 2.

De pœna matrimonii clandestini,  
statuta liberis, ex eo susceptis.

De hac agitur in c. fin. b. t. ubi Innocentius III. ita loquitur: cum inhibito copulæ conjugalis sit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari. Unde prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare speciale quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competente termino præfinito: ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrùm aliquod impedimentum obstat; cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.

Si quis verò hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumperit, in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullam habitura subsidium: causam dat, cum illi, taliter contrahendo, non expertes scientia, vel saltem affectatores ignorantie videantur: pari modo proles illegitima censetur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere, præsumperunt.

Sanè, si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumperit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravior puniendus, si culpæ qualitas postulerit. Sed his, qui taliter præsumperint, etiam in gradu concessio copulari, condigna pœnitentia injungitur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiosè impedimentum objecerit, Canonicam non effugiet ultionem.

Ex hoc textu colliges, in duplici casu propter clandestinitatem puniri libe-

ros ex matrimonio clandestinè, vel contra interdictum Ecclesiæ celebrato conjunctos. 1. quando matrimonium clandestinè, vel contra interdictum Ecclesiæ etiam ignoranter ab eorum parentibus celebratum est in gradu prohibito. 2. quando sic celebratum est etiam in facie Ecclesiæ à parentibus scientibus impedimentum, si in initum sit, ommissis denuntiationibus culpabiliter, ut patet ex illis verbis: si quis verò hujusmodi (nempe de quibus antefermo erat) clandestina, vel interdicta conjugia; sed ante interdictum fuit, celebrare conjugium prius, quàm in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponerentur; ergo loquitur hic de matrimoniis in gradu prohibito celebratis non tantùm clandestinè simpliciter, sed etiam secundùm quid, seu culpabiliter ommissis denuntiationibus, ut etiam notavimus supr.

Colliges. 2. ut hanc pœnam incurrant liberi, seu potius parentes in suis liberis, non sufficere quaecumque matrimonium clandestinum, sed clandestinum in gradu prohibito contractum sine denuntiationibus, ut patet ex cit. c. fin. ibi: si quis verò hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumperit in gradu prohibito. Ex hoc ulterius habetur requiri, quòd tale matrimonium inducens illegitimitatem etiam ignorato impedimento, cujus tamen scientia præsumitur in iure, sic nulliter contractum in gradu prohibito; & ideo nota, eas pœnas non contrahi à liberis, quod consanguinei, vel affines dispensati (culpabiliter ommissis denuntiationibus) contraxerunt publicè, seu in facie Ecclesiæ, quia sic nec est irritum, nec clandestinè contractum in gradu prohibito; id, quod etiam dicendum est in casu, quo tales dispensati contrahunt, etiam simpliciter clandestinè, in loco, ubi Tridentinum robur suum non obtinet, licet etiam culpabiliter denuntiationes omiserint; quia sic non verificatur, quòd contraxerint clandestinè in gradu prohibito. Dixi autem notanter, requiri in hoc casu, quòd matrimonium sit nulliter contractum in gradu prohibito, quando scilicet ea pœna statuitur in liberos non obstante ignorantia parentum de tali impedimento, quia præsumitur tunc in eis scientia; & hoc propter dicenda à n. 719.

710. Si autem quæras, an *in premissis casu* sufficiat matrimonii nullitas ex quocunque impedimento? Resp. affirmativam teneri à Sanchez. *lib. 3. hic. D. 24. num. 4.* qui tamen hoc restringit *n. 5.* ad solum impedimentum, quod factis denuntiacionibus detegi poterat: sed negativam probabilius doceri à Castropalao *D. 2. de spons. p. 13. §. ult. n. 3.* Nam Concilium generale sub Innocentio III. in *c. fin. de clandestin. de spons.* expressè loquitur de matrimonio clandestinè contracto, *in gradu prohibito*; ergo sub pœnam hujus specificæ dispositionis pœnalis non cadit matrimonium clandestinè contractum *non in gradu prohibito*, sed solum cum alio impedimento v. g. *cum voto solenni, cum defectu ætatis, cum crimine &c.* Ex quo sequitur, pœnam illegitimitatis solum habere locum in casu matrimonii clandestinè contracti *in gradu prohibito consanguinitatis, & affinitatis, quando inducitur etiam suppositâ ignorantia impedimenti*, ut signatè monuimus in præced. num. Nam CC. id tantum expressit; nec etiam ob identitatem rationis pœnæ extendendæ sunt.

711. Dices. 1. ratio puniendi liberos ex matrimonio clandestino fuit culpabilis omisso denuntiacionum, per quas impedimentum manifestari poterat, hæc autem ratio procedit de quocunque impedimento, consequenter in eodem etiam eadem reperiri debet juris dispositio, seu decisio. Resp. hoc argumentum sic indefinitè prolatum, non procedere universaliter; tum quia (ut not. ipse Sanchez. *cit. n. 4.*) valde dubium est, & fallit in pluribus, ut dictum est supr. tum quia Gregor. XIV. expressè declaravit legem pœnalem, ac odiosam, quâ quidem certorum criminum Rei excluduntur ab asylo Ecclesiastico, *nec ob identitatem, nec ob majoritatem rationis*, ad Reos aliorum criminum, etiam graviorum, extendi posse, ut constat ex dictis, præsertim *lib. 1. tit. 2.* ubi de extensione legis; ergo licet prober etiam casum illum *non expressum*, in quo reperitur eadem ratio, quæ in expresso, *simili prohibitione dignum esse*, non tamen probat, *actu prohibitum*; cum certum sit, legislatores, iustis de causis, sæpe non omnes casus (qui meritorium prohibitionis de se habent) sed certos

tantum, prohibere, ut constat ex dictis de Gregor. XIV. in sua constitut. *cum aliis non nulli.* Cæterum negari potest, in dato casu rationem legi pœnali fuisse, *culpabilem omissionem denuntiacionum*, per quas impedimentum qualecunque, sed, per quas impedimentum *in gradu prohibito*, detegi poterat; hæc ratio non est in matrimonio nulliter contracto ex quocunque impedimento.

Dices. 2. suscepti ex matrimonio, in *712.* facie Ecclesiæ, saltem unius parentis bonâ fide contracto, etiam *in gradu prohibito*, sunt legitimi, ut dicitur *c. 2. & 14. Qui filii sint legit.* ergo à legitimitate excluduntur suscepti ex matrimonio malâ parentum fide contracto clandestinè, ac nulliter; hoc autem fit *sex quocunque impedimento dirimente matrimonium clandestinum nulliter contrahatur*; ergo.

Resp. non valere conseq. nam textus hujus capituli solum docet, liberos judicandos esse legitimos, quando suscepti sunt ex matrimonio *bonâ fide parentum*, nulliter contracto, *quando non est simul clandestinum*; ex quo sequitur tantum, non esse legitimos judicandos, si suscepti sint ex matrimonio malâ fide parentum nulliter contracto, *quando non est simul clandestinum*; cum quo stat, etiam tunc censerî illegitimos, quando suscepti sunt ex matrimonio nullo *& simul clandestino*; nullum eis subsidium præstant ignorantia; quia propter clandestinitatem præsumuntur *non expertes scientis*, vel saltem *affectatores ignorantie*. Et sic Barbof. in *cit. c. fin. n. 8.* textum in eisdem *§. si quis cum c. 2. & 14. Qui filii sint legitimi*, conciliat, ut sensus sit: *filios susceptos ex matrimonio nullo, quando simul fuit clandestinum, esse illegitimos, non obstante ignorantia parentum*; si autem non fuit simul clandestinum, licet verè nullum; *jurari bonâ fide parentum*, ut legitimi habeantur. Quare, licet matrimonium ex quocunque impedimento dirimente, nullum sit, nec inducat illegitimitatem in liberos inde susceptos, si careat clandestinitate, & contractum sit *bonâ fide* saltem unius è parentibus, ut dicitur in *c. 2. & 14. Qui filii sint legitimi*: secus tamen est, *si sit clandestinum, & nullum in gradu prohibito*, etiam non obstante ignorantia

rantiā parentum; quia tunc præsumitur ignorantia affectata.

713. Dices. 3. quando ratio legis exprimitur in ipsa lege, ex communissima, & receptissima sententia, lex poenalis extendi debet ad eum casum, in quo eadem ratio invenitur; sed ira contingit in præsentem, ergo; Resp. neque in hoc casu, quo ratio legis expressa à lege, reperitur in casu non expresso, legitimè fieri extensionem ad casum non expressum, nisi aliunde colligatur, quòd legislator casum expressum prohibuerit, motus ex illa ratione communi, & universali expressa, in quantum universalis est. Cum enim possit eam amplecti, vel in quantum communis est omnibus eam participantibus, vel præcisè in quantum reperitur in certis casibus, cum certis circumstantiis, non communibus casui non expresso: non rectè à ratione casus expressi ad non expressum ex eadem arguitur: at textus in c. fin. §. si quis, non punit matrimonium nulliter contractum propter omissionem denuntiationum, per quas detegi poterat impedimentum qualecunque, quo stante nulliter contractum est; sed propter neglectum denuntiationum, per quas detegi poterat impedimentum gradus prohibiti; ergo.

714. Dices. 4. cum Barbof. jam cit. n. 13. licet decisio textus in cit. c. fin. §. si quis, poenalis videatur; quia tamen in favorem animæ condita est, ad coercendum peccatum eorum (qui contra canonica instituta matrimonia audent contrahere, & insuper clam contrahendo ignorantiam affectant) non restringenda, sed amplianda est ad matrimonia clandestina ex quocunque impedimento nulliter contracta, juxta doctrinam Gloff. V. alios in c. sciant cuncti, de Elect. in 6. Resp. quod assertur, concedi, quoties legislator dispositionem suam non restringit per certos terminos in ipsa lege expressos; at in c. fin. §. si quis, ea decisio de illegitimitate susceptorum ex matrimonio clandestino, & nulliter contracto restringitur per expressa in ipsa lege verba, ad nulliter contractum in gradu prohibito; ergo.

715. Dices. 5. cum eodem ibid. dispositio textus in §. si quis non agit limitativè de matrimonio nullo ex impedimento consanguinitatis, & affinitatis, sed generaliter, de nullo, ex quocunque alio impe-

dimento dirimente; quia ille §. refert se ad principium textus, ibi: *hujusmodi clandestina, vel interdicta*, id est, hæc, de quibus in principio dixerat; constat autem in principio de omnibus aliis impedimentis egisse. Quamvis enim in exordio locutus sit, de contrahentibus in gradu prohibito, deinde tamen decisionem per verba generalia incipit ibi: *qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum, opponit*; & clarius ibi: *investigent utrum aliquod impedimentum obset?* Resp. negando, quòd ea decisio non disponat limitativè, sed generaliter de quovis impedimento. Unde licet decisio illius textus per ly *hujusmodi* se referat ad ea clandestina, & nulla matrimonia, de quibus in exordio dixerat; quia tamen in principio dixerat de matrimoniis clandestinis, ac nullis in gradu prohibito (ut fateatur ipse Barbofa) non rectè infertur ex hoc termino *hujusmodi*, relato ad exordium textus, decisionem esse generalem, de quocunque matrimonio clandestino, nullo undecunque; sed in gradu prohibito.

Nec obstat, quòd postquam in exordio egit de clandestino matrimonio nulliter contracto, ex impedimento consanguinitatis, disponat generaliter, ut, qui novit aliquod impedimentum legitimum, illud, si possit, opponat; & si quod detegatur, contractus Sponsis interdicatur, dum de rei veritate constet; ac mox subjungat: *si quis vero hujusmodi clandestina, & interdicta conjugia inire præsumpserit*; (quo videtur decisio loqui, de matrimoniis ex quocunque impedimento interdictis) non, inquam, obstat; quia respectum ad priora, quem assert terminus *hujusmodi*, expressè limitat per verba expressa, *in gradu prohibito*; quo clarè innuit, non punire qualibet clandestina conjugia contra interdicta, etiam nulliter contracta: sed in gradu prohibito; quia terminus specialis præcedenti generali subjunctus, ejusmodi prævium sermonem indefinitum in subsequentibus restringit. Et ideo illius sensus est, *si quis vero hujusmodi matrimonia interdicta in gradu prohibito clandestinè inire præsumpserit, nihilominus proles censeatur illegitima, non obstante ignorantia parentum; quia videntur, vel non expertes scientia, vel ignorantia affectatores*;

tores; quod longe aliud est, quam si quis hujusmodi matrimonia interdicta in quocumque impedimento clandestinè inire præsumpserit: his præmissis

717. Si quæras. 2. an ad incurrendam, poenam illegitimitatis, de qua in cit. c. fin. §. si quis verò, requiratur præterea, prolem susceptam esse de conjugio invalido, durante inhabilitate & clandestinitate? Resp. quod sic; constat 1. ex c. Quod nobis. 2. de clandest. de spons. Vbi Pontifex Episcopo Belbacensi rescribit, ut eos, qui suscepti sunt ex clandestino matrimonio, per Ecclesiam comprobato, & rato habito, si persone contrahentium matrimonium suum voluerint publicare, legitimos filios, & heredes judicet. 2. ex c. Quod nobis, 9. Qui filii sint legitimi ibi: si qui autem de clandestino matrimonio, postmodum ab Ecclesia comprobato, generati fuerint, eos legitimos judices filios, & heredes: quod Castropal. cit. D. 2. de spons. p. 13. §. ult. num. 4. meritò verum esse vult, licet post hoc, per accidens, impedimentum aliquod detegatur. Ex quo sequitur, prolem esse censendam legitimam, esto suscepta sit, ex matrimonio clandestino, nulliter contracto, etiam in gradu prohibito, si tale matrimonium tempore conceptionis, vel nativitatis publicatum, & ab Ecclesia comprobatum sit, ut validum.

718. Si quæras. 3. an id etiam procedat in casu matrimonii, licet in facie Ecclesiæ contracti, si parentes impedimenti conscii erant? si deinde hoc matrimonium ab Ecclesia per dispensationem in impedimento comprobetur. Resp. quod non, ut dicitur in c. Tanta, qui filii sint legitimi; quia illi contraxerunt invalide, non tantum facto, sed etiam scientia, & existimatione sua: quod non est in his, qui contraxerunt invalide solum facto, sed ignorantes impedimentum. Hujus ulterior ratio est; quia similia matrimonia contracta, vel in facie Ecclesiæ, vel etiam clandestinè, nempe omisis denuntiacionibus, cum ignorantia impedimenti, si contrahentes publicare voluerint, ab Ecclesia recipienda, & comprobanda sunt, nisi rationabilis causa præpediat, ut dicitur in cit. c. 2. b. t. hoc est, nisi aliquod impedimentum tali probationi opponatur, ut not. Castropal. cit. n. 4. in fine. Non est igitur mirum, si talis defectus in

hoc secundo, non in primo casu, Ecclesiæ approbatione suppleatur.

Ex hoc sequitur, quòd proles suscepta ex matrimonio clandestino, & valido, legitima censenda sit, si scilicet parentes ejus tempore conceptionis, vel nativitatis proles, habiles erant ad contrahendum. Nam in cit. c. fin. non obstante ignorantia impedimenti, propter præsumptam in parentibus scientiam, vel ignorantiam affectationem illi solum redduntur legitimi, qui suscepti sunt ex matrimonio clandestino, in gradibus prohibitis, hujus autem textus dispositio extendi non debet ad susceptos ex matrimonio clandestino valido, ut tenet ipse Sanchez. lib. 3. hic D. 44. n. 2.

Nec obstat, quòd ex matrimonio clandestino, & putativo, in poenam clandestinitatis statuatur illegitimitas sobolis inde susceptæ, quamvis ejus nullitas lateat parentes, & eadem clandestinitas reperiat in matrimonio clandestino valido. Nam correctio juris omninò vitanda est ut dicitur L. precipimus, C. de appellat. nisi cogat necessitas, vel alia dispositio posterior; sed juxta jus antiquum in c. Tanta. Qui filii sint legitimi, omnes liberi naturales dicuntur legitimi secuto inter eorum parentes matrimonio; ergo hujus correctio vitanda est, quod tamen non fieret, si nati ex matrimonio clandestino, & valido, forent illegitimi; cum ad hoc dicendum nec ulla necessitas, nec dispositio juris posterior cogat.

Accedit, quòd poena (utpote odiosa) imponenda non sit, ubi non est expressa in jure, c. Is, qui, de sent. Excom. in 6. sed poena illegitimitatis in susceptos ex matrimonio clandestino valido, nullibi est expressa in jure. Nam c. fin. §. si quis, loquitur de susceptis ex matrimonio clandestino, ac irritò, quando est in gradu prohibito propter impedimenti præsumptam scientiam, vel ignorantiam affectationem: idem est de c. ex Tenore. Qui filii sint legitimi; ergo; igitur duos casus complectitur c. fin. §. si quis, occasione clandestinitatis, seu matrimonii clandestinè contracti in gradibus prohibitis. 1. si contractum sit à parentibus in gradu prohibito, etiam ignoranter. 2. si cum scientia impedimenti, licet contractus celebratus sit in facie Ecclesiæ, sed denuntiacionibus cul-

culpabiliter omittis; ex primo non nascitur illegitimitas, nisi matrimonium clandestinè contractum sit in gradu prohibito; ut diximus num. 709.

§. 3.

*De pœnis matrimonii clandestini  
statutis in ipsos sic contrahentes.*

720. Esti verum sit, per illegitimitatem prolium, de qua proximè actum est, puniri etiam ipsos parentes, puniuntur tamen non *in se*, sed *in alio*, nempe in susceptis liberis ex matrimonio clandestino, *in gradu prohibito*. In præsens igitur agimus de pœnis matrimonii clandestini, quibus *in se* puniuntur sic contrahentes. Prima harum pœna juris antiqui est *privatio beneficii concessi spoliatis*, in c. Conquestione, c. Literas, de Restit. spoliat. quo jubetur, *spoliatus regulariter ante omnia restitui*. Hoc, inquam, beneficium clandestinè contrahentibus, in pœnam elandestinitatis, ademptum est, ut tradit gloss. in c. Ex transmissa cod. V. Legitimè. Et ideo mulier, à viro spoliata quasi possessione maritali, intentans ei actionem spoli, quæ petit eum restitui sibi ad conjugalem cohabitationem, non restituitur in casu, quo matrimonium contraxit clandestinè. Nam ut concedatur in casu similis spoliationis restitutio, textus in c. Ex transmissa, petit, matrimonium *in facie Ecclesie* contractum esse, seu ut Ecclesie constet de valore matrimonii, ac ejus possessione prius habitâ.

721. Dices: pœnæ juris antiqui, quibus *in se* puniuntur clandestinè contrahentes, non afficiunt, nisi matrimonium sic clandestinum, & validum juxta dicta n. 702, ergo, ubi matrimonium clandestinum invalidum est, contrahentes non cadunt in pœnam privativam restitutionis in casu spoliationis. Resp. ibi omnino dictum esse, pœnas juris antiqui, quibus *in se* puniuntur clandestinè contrahentes, non afficere contrahentes, nisi matrimonium sit validè celebratum sic, ut Ecclesie constet de matrimonii valore, non autem seclis; quia cum ponatur matrimonium clandestinè contractum (consequenter contra interdictum Ecclesie) puniendum est juxta c. 1. & 2. de matrimonio contra interdictum Ecclesie contracto, adedque ante-

quam de valore constet, dignum non est eo favore restitutionis, qui conceditur contrahentibus juxta formam Ecclesie; tum quia jus præsumit contra eum, qui nititur *adversus jura*, Reg. 82. de Reg. jur. in 6. tum quia in dato casu actrix, quæ petit restitutionem, nequit ostendere possessionem, nisi probet *titulum veri Conjugii*; cùm liber homo possideri non possit, nisi ex aliquo titulo, ut not. gloss. in cit. c. Ex transmissa; V. & ab eo cognita.

Altera pœna est, ut, si contingeret, 722. quòd conjuges clandestini ab invicem recedentes, transirent ad aliud matrimonium publicum, hoc præferatur illi, nisi clandestinum efficaciter probetur validum. Huic pœnæ vix esse locum post Tridentinum, censet Castropal. cit. D. 2. p. 13. n. 7. si enim simpliciter clandestinè contraxerunt in loco, ubi viget Tridentinum, aliunde tale matrimonium invalidum est; si autem solum omittis denuntiationibus, probari tamen possit factum, non probato ullo impedimento, restitutio spoliato faciendâ est: existimo tamen, posse dari casum; ut, si qui validè, sed omnino clam contraxerunt in loco, ubi talia matrimonia valent, ac unus conjugum altero relicto, in alio loco cum aliquo publicè contrahat; si enim spoliatus superveniret, & contra spoliatorem ad restitutionem ageret, quin validum matrimonium suum (quia omnino clam fuit) probare posset, foret locus huic pœnæ in foro externo.

Tertia pœna, quam statuit Tridentinum 723. num. Sess. 24. de Reform. matr. c. 5. est, quòd contrahentes clandestinè (omittis nimirum culpabiliter denuntiationibus) *carere debeant spe dispensationis*, si fortè *in gradibus prohibitis* (licet in facie Ecclesie, & impedimentum ignorantes) contraxerunt; quia non est dignus, qui Ecclesie benignitatem facilem habeat, cuius salubria præcepta contempsit; ita Concilium: sic enim loquitur loco cit. Tridentinum. *si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere presumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendâ careant*; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solennitè

nitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiciatur poenis. Non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile reperitur, cuius salubria praecepta temere contempnit. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.

Circa praesens decretum not. 1. hoc intelligendum esse, quod carere debeant spe dispensationis, *ex iisdem causis*, quae ceteroquin sufficerent, si non commisissent vitium clandestinitatis; ut enim Pontifex in dato casu se difficilem reddat, exigit recta gubernatio, ne contemnentibus Ecclesiae interdictione, concedens facilem indulgentiam aliis, spe paris indulgentiae, viam faciat minus curandi ea, quae Ecclesia tam sollicitè in bonum animarum statuit.

Not. 2. etsi Barbosa in *cit. loc. Trid. num. 21.* velit, *ly in gradibus prohibitis*, intelligendum de contrahente cum quolibet impedimento dirimente, contrarium tamen probabilius esse ex dict. supr.

Not. 3. cum ibidem dicitur, quod si ignoranter id fecerit, nimirum contrahendo in gradu prohibito, scienter tamen denunciations omiserit, ex hac culpa praesumi affectationem vel scientiam impedimenti; & poenam statui.

Not. 4. à fortiori, hanc poenam impositam esse scienter contrahentibus clandestinè in gradibus prohibitis, & multò magis, *eadem scientia stante*, matrimonium tale consummantibus, ut liquet ex aperto textu Tridentini in *cit. c. 5.* Ex quo not. quod hanc poena non afficiat clandestinè contrahentes matrimonium, & illud consummantes, *ut unquam*, sed, si hoc facere *presumpserunt*: quod non cadit in quodcumque factum, sed solum in factum *cum ausu temerario*. Et ideo dispositio, puniens *aliquid praesumentem*, non comprehendit illum, qui id bonà fide, ignoranter, imprudenter, sive inadvertenter fecit; sic Barbosa *de dictionibus usu freq. V. Presumere. num. 3.* ac propterea, ut rectè observat Pereyra in *Elucidario num. 8. 9.* hae clausulae (*scienter ausus fuerit, vel si quis praesumpserit*) in legibus imponentibus poenam, excludunt

omnem ignorantiam, etiam vincibilem; & crassam (teste Sanchez. *de matr. lib. 9. D. 32. num. 35.*) dummodo non sit adeò crassa, ut reputetur *ingens temeritas*; tunc enim tam haec, quam affectata, non excusant, à praedictarum legum poena incurrenda.

Quarta poena habetur in *Trid. Sess. 24. 724. de Reform. matr. c. 1.* ubi statuitur. 1. ut contrahentes matrimonium simpliciter clandestinè (nimirum sine Parocho & Testibus) sint inhabiles, *ad sic* contrahendum 2. ut Ordinarius teneatur, eos graviter punire, *ibi: nec non Episcopos contrahentes, arbitrio Ordinarii graviter puniri praecipit.* Circa primum, eam inhabilitatem Castropalaus *D. 2. de sponsal. p. 13. §. ult. num. 9.* vocat *poenam*; sed probabilius est oppositum ex dictis à *num. 637.* Hinc si contrahere velint *in facie Ecclesiae*, etiam post matrimonium sic clandestinè contractum, habiles sunt, ut docet idem Author cum Sanchez. *D. 46. num. 3.* & aliis. Circa secundum autem, not. poenam esse arbitrariam, seu commissam arbitrio Ordinarii; ut patet ex textu ibi: *arbitrio, hoc est; prudenti iudicio*; non autem, *mere libertati*, ut scilicet ei liceat punire, *vel non punire*; sed, quod punire debeat, relicta tamen ejus prudentiae quantitate, & qualitate poenae, in linea tamen poenae gravis, ut pat. ibi: *graviter puniri praecipit.*

## §. 4.

## De pena statuta in assistentes matrimonio clandestino.

Parocho, vel alteri Sacerdori de illius <sup>725</sup> licentia, matrimonio clandestino (nimirum omissis culpabiliter denunciations) assistentibus, decreta est suspensio ab officio per triennium, ut constat ex *c. fin. de Clandest. despons. ibi*: sanè si Parochialis Sacerdos *tales conjunctiones prohibere contempserit*; aut quilibet etiam Regularis, qui eis *presumpserit* interesse, *per triennium ab officio suspendatur*. Circa quam poenam not. 1. eam suspensionem non esse latae sed tantum ferendae sententiae, ut patet ex Verbo *suspendatur. 2.* eam poenam cadere in assistentem matrimonio clandestino *secundum quid*; pat. ex iis verbis

verbis, tales conjunctiones, de quibus nimiram ibi sermo est; ibi autem agitur de matrimonio clandestinis, omittis culpabiliter denunciationibus, ut fuscè ostendit Gonzalez in cit. c. fin. n. 5. deinde, quia sub nomine matrimonii clandestini, re late ad poenas, venit etiam clandestinum secundum quid, ex num. 697. Not. 3. hanc poenam probabiliter non incurri ab assistente matrimonio clandestino, & valido, vel etiam, in valido, modo non sit in gradu prohibito. Nam per ly tales conjunctiones notatur matrimonium, de quo ibi: at ibi tantum sermo est de matrimonio clandestino in gradu prohibito; ut pat. ex claro textu; quoad poenam & extensionem illius textus non rectè fieri ad matrimonium clandestinum cum quocumque impedimento dirimente const. ex dictis paulò ante.

Not. 4. dictam poenam non incurri à Parocho assistente matrimonio clandestino, nisi hoc faciat temerè, vel cum affectata legis ighorantia; non autem si ex ignorantia etiam culpabili, vel crassa, modò tanta non sit, de quo paulò ante, num. 723. Nam ea poena non fertur in assistentes utcumque, sed qui ejusmodi matrimoniis interesse præsumserint, vel contempserint, tales conjunctiones prohibere. Not. 5. quòd juxta Castropal. cit. D. 2. p. 13. §. ult. num. 13. hanc poenam non incurrat Parochus ex eo præcisè, quòd assistat matrimonio sine sufficienti numero testium; sic enim non assistit matrimonio, cum nullum sit ex defectu formæ Tridentini. Verùm sic etiam non incurret illam, assistens clandestino matrimonio in gradu prohibito; cum & hoc nullum sit. Rectius dici videtur ex eo; quia non assistit in hoc casu clandestino matrimonio in gradu prohibito. Not. 6. prædictam poenam extendi à P. Sanchez. lib. 3. D. 43. à num. 2. quotiescunque Parochus, vel ab eo delegatus, interfuerit matrimonio ab Ecclesia interdicto, prout fieret, si intereffet matrimonio Vagorum absque Ordinarii licentia; verùm textus ille poenalis (in num. 725.) hanc extensionem non patitur juxta Castropal. cit. num. 13. rationem dat, quia textus ille loquitur tantum de matrimoniis, quæ ob suspensionem impedimenti dirimentis interdicta sunt. Hæc ratio rectè procedit, si restringatur

Tom. IV.

ad impedimentum in gradu prohibito, ut dictum est.

Si quæras, quis validè absolvat à trienniali suspensione, incurrà ex assistentia in matrimonio clandestino? an id possit Episcopus jure suo? Negativa probabilior est; nam inferior nequit relaxare legem à superiore latam, præsertim tempore illi expressè definito; at ista lex poenalis, est lex superioris Episcopo, nimirum Concilii generalis, quo ea suspensio triennio durare jubetur; ergo. Nec obstat, quòd eam Episcopus imponat, quia id solum agit tanquam Minister Concilii, non autem tanquam Principalis. Et quamvis possit absolvere à censuris non reservatis per c. fin. de sent. Excom. fallit tamen, si late sint, ut durent ad tempus à jure determinatum; si autem tempus determinatum non sit, absolvendo nihil agit contra legem superioris; quia duratio ejus tunc non cadit sub legem. Quando autem dicitur in Tridentino Sess. 24. de Reform. 6. Episcopum in foro conscientie posse absolvere ab omnibus censuris etiam Papa reservatis ex occulto delicto provenientibus, non verificatur sic universaliter; fallit enim. 1. in censura, quæ oritur ex homicidio voluntario; fallit. 2. in his, quæ deductæ sunt ad forum contentiosum; fallit. 3. si delictum, ob quod censura incurra est, non sit occultum, ut expressè loquitur textus in cit. c. 6. ibi: in quibuscunque casibus occultis &c. ubi Barbosa ad cit. c. 6. num. 26. probabiliter censet, ibi occultum dici, quòd non est notorium apud omnes, etiam si probari possit per aliquos testes; eò quòd sufficiat, non esse divulgatum, & aliquà posse tergiversatione celari.

Ex hoc videtur sequi, si ea Parochi assistentia, quam præstitit matrimonio clandestino, sit occulta, hoc est, non sit adeò divulgata, ut tergiversatione aliquà celari possit, licet per aliquos testes probari possit, Episcopum potestate, virtute Tridentini pro casibus occultis concessa, posse illum absolvere à suspensione trienniali pro foro conscientie. Hoc à fortiori dicent Joann. Andr. ad cit. c. fin. n. 11. Hostiens. ibid. Vers. per triennium, qui absolute docent, Episcopo competere hanc potestatem; sed contrarium adhuc videtur dicendum, etiam in hoc casu, quia

Aa

quia

quia Concilium loquitur de illis casibus ab Episcopo absolvendis, *qui nec publici sunt, nec ad forum externum deducti*, ut pat. ex *cit. c. 6.* ibi: liceat Episcopis ab irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto *occulto* provenientius, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & *exceptis aliis deductis ad forum contentiosum* &c. at cum hæc censura non incuratur ipso facto, sed per *sententiam Judicis*, jam est casus deductus ad forum externum, & quidem cum effectu, ut requirit Barbosa *cit. num. 38.* ergo non obstante, quod *predicto modo* casus sit occultus, adhuc non poterit absolvi ab Episcopo.

728. Quæres. 2. quæ sit pœna assistentis matrimonio non subditorum? Resp. Parochos, vel Sacerdotes alios, qui sine legitima facultate matrimonio sibi non subditorum assistunt, vel prædictos Sponsos benedicere ausi fuerint, ipso jure tam

diu manere suspensos, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur; sic Trident. *de Reform. matr. Sess. 24. c. 1.* Hanc suspensionem esse læ sententiæ constat ex verbis: *ipso jure suspensi manent*; ab ea tamen excusat ignorantia, modò non sit ita crassa, ut sit ingens temeritas; sic Barbosa. *in cit. c. 1. Vers. ausus fuerit*; constat etiam ex *num. 723.* imò juxta Castropal. *cit. num. 15.* modò non sit crassissima. Testes porrò, qui assistunt matrimonio clandestino, vel sine Parocho, vel denuntiationibus culpabiliter omisiss; imò, & Parochus, vel ejus delegatus, qui assistit matrimonio sine debitis Testibus, arbitrio Ordinarii puniendi sunt, cum & ipsi violent inderdictum Ecclesiæ, nec pœna jure definita sit; Sanchez.

*l. 3. hic D. 46. n. 7.*



## QUÆSTIO IV.

### Ad Titulum IV. de Sponsa duorum,

729.



um quandoque contingat, vel ab eodem dari fidem conjugalem duabus, vel ab una duobus; ex quo lites variae, & quandoque mala gravia enascuntur; hoc titulo decernitur, quid in ejusmodi casibus agendum? supponendum autem ad ea, quæ dicenda sunt, duobus modis posse alicui ab altero dari fidem de matrimonio. 1. *fidem pactionis*, quæ nihil aliud intelligitur, quam promissio matrimonii facta mulieri, vel contra, si permisserit eam rem secum habere; quod non debet intelligi de copula fornicaria (hæc enim conditio, cum sit turpis, habetur pro non adjecta) sed de conjugali, post matrimonium contractum. 2. *fidem consensûs*, quo intelligitur promissio vera de præsentis; his præmissis;



### ARTICULUS I.

#### *Sponsalia de futuro unius cum pluribus.*

Quæstio est. 1. quid resolvendum in casu, quo unus, vel una pluribus successivè dedit *fidem pactionis*, seu, quod idem est, si unus, vel una cum pluribus contraxit Sponsalia de futuro? Resp. in hoc casu, si priora non sint legitime soluta, Sponsum teneri manere cum prima, relicta secundâ; quia sic secunda sunt promissio rei illicitæ, nimirum ducendi secundam, contra fidem primæ; quod jure naturæ illicitum est; consequenter secunda sunt invalida, & primis præjudicare non possunt.

Quæstio. 2. quid resolvendum in prioris casu, si Sponsalia secunda sint consummata? Resp. in foro conscientiæ statuendum, Sponsum teneri manere cum prima, si cum secunda non intercessit *fides consensûs*, seu matrimonium; ut constat ex dictis; quia sic secunda Sponsalia cum sola